Hübner, Friedrich
De Pluto.

DE PLUTO

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

FRIDERICUS HÜBNER

BRANDENBURGENSIS

HALIS SAXONUM

FORMIS DESCRIPSIT EHRHARDT KARRAS G. M. B. H.

MCMXIV

DE PLUTO

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

FRIDERICUS HÜBNER

BRANDENBURGENSIS

HALIS SAXONUM

FORMIS DESCRIPSIT EHRHARDT KARRAS G. M. B. H.

MCMXIV

De dissertatione probanda ad philosophorum ordinem rettulit
Carolus Robert.

Examen rigorosum habitum est a. d. XII kal. Febr. anni h. s. XIV.

Ex Dissertationum philologicarum Halensium vol. XXIII, 3 seorsum expressum.

PARENTIBUS CARISSIMIS

SACRUM

Commentationis argumentum.

I.

De Pluto populari.

Plutum Graecorum diis popularibus adnumerandum esse cum alii statuerunt tum Eisele in Roscheri Lexico mythologico. Id quod aliter se habere in hac dissertatione demonstrare conabor. Nam me iudice ex notione populari emergit Pluti persona neque tamen ea certa et definita sed vario modo figurata, neque ita stabilita, ut non omni temporis momento in meram notionem resolvi possit. Quod idem de similibus notionibus velut virtute, pace, sanitate, aliis valere nemo ignorat, quibuscum Pluto modo arta necessitudo modo vehemens simultas est.

Ad hanc sententiam stabiliendam primum videamus, quid opinionis popularis interpretes, veteres poetae, de Pluto iudicaverint. Atque apud Homerum *πλοῦτος* rerum[1]) copiam significat atque idem fere valet quod *ἄφενος* cf. A 171 *ἄφενος καὶ πλοῦτον*. Tertio autem quod his duobus vocabulis accedit synonymo et quod saepius etiam cum *πλούτῳ* quam *ἄφενος* coniungitur, *ὄλβῳ* etiam felicitatis notio inest, *Π* 596 *ὄλβῳ τε πλούτῳ μετέπρεπε Μυρμιδόνεσσι*. *Ω* 535 *πάντας γὰρ ἐπ' ἀνθρώπους ἐκέκαστο ὄλβῳ τε πλούτῳ τε*. ξ 205 *θεὸς ὥς*

[1]) De animi ingeniique virtutibus hoc vocabulum primum ab Empedocle usurpatur fr. 129 (Diels):

ἦ δέ τις ἐν κείνοισιν ἀνὴρ περιώσια εἰδώς,
ὃς δὴ μήκιστον πραπίδων ἐκτήσατο πλοῦτον

idem fr. 132 D.; quarto saeculo Alexis fr. 340 (K II 407) *ψυχὴν ἔχειν δεῖ πλουσίαν* dixit, quem versum fortasse ante oculos habet Lucianus Anth. Pal. X 41 *πλοῦτος ὁ τῆς ψυχῆς πλοῦτος μόνος ἐστὶν ἀληθής*.

τίετο δήμῳ ὄλβῳ τε πλούτῳ τε καὶ υἱάσι κυδαλίμοισιν.[1]) Atque itentidem in hymno in Mercurium scripto 528 ὄλβου καὶ πλούτου δώσω περικαλλέα ῥάβδον et in hymno in Tellurem 30, 12 ὄλβος δὲ πολὺς καὶ πλοῦτος ὀπηδεῖ. Itaque optime ad Odysseae versum ν 41, ubi Ulixes optat, ut dii sibi dona Phaeacum fortunata reddant, scholia adnotant: ἄλλο ὄλβος, ἄλλο πλοῦτος, ὡς καὶ ἐν ἄλλοις „ὄλβῳ τε πλούτῳ τε" (ξ 206) εὔχεται οὖν τὰ δῶρα ἐπὶ εὐδαιμονίᾳ αὐτῷ γενέσθαι· οὐ γὰρ ἐν πλούτῳ μόνῳ τὴν εὐδαιμονίαν ὁρίζεται.[2])

Omnia tria synonyma coniungit Hesiodus op. 637, ubi non sine acerbitate de patre suo narrat: οὐκ ἄφενος φεύγων οὐδὲ πλοῦτόν τε καὶ ὄλβον; idem alio eiusdem carminis loco virtutem et laudem plutum comitari dicit v. 312:

> εἰ δέ κεν ἐργάζῃ τάχα σε ζηλώσει ἀεργὸς
> πλουτεῦντα· πλούτῳ δ᾽ ἀρετὴ[3]) καὶ κῦδος ὀπηδεῖ.

En hic primum habemus virtutem cum pluto coniunctam, quae postea multo saepius ei opponitur.

In universum autem quomodo divitiae partae sint, poetae epici non curant, curant lyrici, quod discrimen non tam in generis poetici quam in temporum diversitate positum esse vix est quod moneam. Miseria publica enim effecit, ut de honestate divitum inquireretur, neque igitur mirabimur hac in re magnum illum rei publicae Atheniensis reformatorem Solonem agmen ducere. Cuius elegia, quae inscribitur εἰς ἑαυτόν, ipsum plutum pro argumento habet. Summa autem totius contemplationis his versibus continetur (Bergk PLG II⁴ p. 41 fr. 13 = Wilamowitz, Sappho etc. p. 259) v. 7 sqq.:

---

[1]) Virum nobilem sine divitiis cogitari non posse etiam quinto saeculo Eupolis indicat fr. 117, 4 (K I 289):

> ἀλλ᾽ ἦσαν ἡμῖν τῇ πόλει πρῶτον μὲν οἱ στρατηγοὶ
> ἐκ τῶν μεγίστων οἰκιῶν, πλούτῳ τε γένει τε πρῶτοι.

[2]) Cf. hymn. Orph. XL 18 πλοῦτον πολύολβον, LXVIII 8 ὀλβοδότης πλοῦτος.

[3]) De notione quae inest vocabulo ἀρετή v. Wilamowitz, Sappho und Simonides 169 sqq. Friedländer, Hermes XLVIII p. 564, 1; cf. etiam Simonidem fr. 58 (Bergk PLG. III⁴ 407):

> πάντα γὰρ μίαν ἱκνεῖται δασπλῆτα χάρυβδιν,
> αἱ μεγάλαι τ᾽ ἀρεταὶ καὶ ὁ πλοῦτος.

χρήματα δ' ἱμείρω μὲν ἔχειν, ἀδίκως δὲ πεπᾶσθαι
οὐκ ἐθέλω· πάντως ὕστερον ἦλθε δίκη.
πλοῦτον δ' ὃν μὲν δῶσι θεοὶ παραγίγνεται ἀνδρί
ἔμπεδος ἐκ νεάτου πυθμένος ἐς κορυφήν·
ὃν δ' ἄνδρες μετίωσιν ὑφ' ὕβριος οὐ κατὰ κόσμον
ἔρχεται, ἀλλ' ἀδίκοισ' ἔργμασι πειθόμενος
οὐκ ἐθέλων ἕπεται, ταχέως δ' ἀναμίσγεται ἄτη.

Itaque cum Ulixes Homericus deos precatus sit, ut divitias suas faustas redderent, Solo eas tantum divitias adpetendas esse dicit, quae diis debeantur. Atque similiter Pindarus N IX 45 (Schroeder):

ἴστω λαχὼν πρὸς δαιμόνων θαυμαστὸν ὄλβον.
εἰ γὰρ ἅμα κτεάνοις πολ-
λοῖς ἐπίδοξον ἄρηται
κῦδος,[1] *οὐκ ἔστι πρόσωθεν*
θνατὸν ἔτι σκοπιᾶς ἄλ-
λας ἐφάψασθαι ποδοῖν.

Tum secuntur Theognis 145/146:[2]

βούλεο δ' εὐσεβέων ὀλίγοις σὺν χρήμασι οἰκεῖν,
ἢ πλουτεῖν, ἀδίκως χρήματα πασάμενος,

auctor scolii illius incluti Simonidi tributi,[3] in quo *τὸ πλουτεῖν ἀδόλως* praedicatur, Euripides fr. 419 N²:

βίᾳ νυν ἕλκετ' ὦ κακοὶ τιμὰς βροτοί,
καὶ κτᾶσθε πλοῦτον πάντοθεν θηρώμενοι,
σύμμεικτα μὴ δίκαια καὶ δίκαι' ὁμοῦ·
ἔπειτ' ἀμᾶσθε τῶνδε δύστηνον θέρος,

Lycurgus (Stob. flor. IV 31, 113) *οὐ τὸ πλουτεῖν καλόν, ἀλλὰ τὸ ἐκ καλῶν πλουτεῖν,*[4] Crates fr. 10 (Diels) v. 8:

---

[1]) Cf. versum Hesiodi supra adlatum: *πλούτῳ δ' ἀρετὴ καὶ κῦδος ὀπηδεῖ.*

[2]) Adde Theogn. v. 29 sq. 197. 465. 753 sq.

[3]) Cf. de hac quaestione infra p. 259, 1.

[4]) Etiam Isyllus divitias iuste partas a diis petit Epidaurius B. 12 sqq. (Wilamowitz, Philol. Unters. IX 1886 p. 9); adde gnom. monost. Menandr. 59. 204. 288. 340. 364. 593. 616.

ἀλλὰ δικαιοσύνης μετέχειν καὶ πλοῦτον ἀγινεῖν
εὔφορον, εὔκτητον, τίμιον εἰς ἀρετήν.

Neque tamen modo iusto modo parandae sunt divitiae, iusto modo eis est etiam utendum; quod ut fieri possit, adsit virtus necesse est; quam cum Hesiodus comitem pluti dixerit, Sappho ab eo seiungit fr. 80 (Bergk III⁴ 116):

ὁ πλοῦτος ἄνευθ' ἀρετᾶς οὐκ ἀγαθὸς πάροικος

cf. Wilamowitz, Sappho etc. p. 62. Atque similiter Pindarus de Therone Ol. II 11:

αἰὼν δ' ἔφεπε μόρσιμος
πλοῦτόν τε καὶ χάριν ἄγων
γνησίαις ἐπ' ἀρεταῖς,

et 57: ὁ μὰν πλοῦτος ἀρε-
ταῖς δεδαιδαλμένος
φέρει τῶν τε καὶ τῶν
καιρόν.

Atque cum saepius accidit, ut homini diviti desit virtus, contra homo pauper virtute excellat, poetae abundantiae virtutem vel honestatem, nequitiae paupertatem opponere coeperunt atque eo processerunt, ut fere divitem quemque nefarium, pauperem quemque honestum vocarent nec desinerent abundantiam vituperare, paupertatem praedicare. Hac quoque in re agmen ducit Solo fr. 15 (Bergk II⁴ 46):

πολλοὶ γὰρ πλουτοῦσι κακοί, ἀγαθοὶ δὲ πένονται·
ἀλλ' ἡμεῖς αὐτοῖς οὐ διαμειψόμεθα
τῆς ἀρετῆς τὸν πλοῦτον, ἐπεὶ τὸ μὲν ἔμπεδον αἰεί,
χρήματα δ' ἀνθρώπων ἄλλοτε ἄλλος ἔχει,

qui versus etiam in Theognidis corpore 315 sqq. leguntur. Ac multo acrius Theognis v. 1061:

οἱ μὲν γὰρ κακότητα κατακρύψαντες ἔχουσιν
πλούτῳ, τοὶ δ' ἀρετὴν οὐλομένῃ πενίῃ,

id quod prorsus aliter se habere decere dicit v. 525 sqq.:

καὶ γάρ τοι πλοῦτον μὲν ἔχειν ἀγαθοῖσιν ἔοικεν,
ἡ πενίη δὲ κακῷ σύμφορος ἀνδρὶ φέρειν,

cf. 523 sq. 683 sq. 1061 sq. Praeclare Aeschylus Iustitiam a divitiis infamatis oculos avertentem facit Ag. 778:

τὰ χρυσόπαστα δ' ἔδεθλα σὺν πίνῳ χερῶν
παλίντροποις ὄμμασι λιποῦσ'
ὅσια προσέμολε δύναμιν οὐ σέβουσα πλού-
του παράσημον αἴνῳ.

Et Euripides fr. 684 N²:

φεῦ τῶν βροτείων ὡς ἀνώμαλοι τύχαι.
οἳ μὲν γὰρ εὖ πράσσουσι, τοῖς δὲ συμφοραὶ
σκληραὶ πάρεισιν εὐσεβοῦσιν εἰς θεούς.

Vehementissime autem quarti saeculi et poetae et scriptores invehuntur. Atque de Aristophanis Pluto infra accuratius agemus, hoc loco satis habeo adferre Menandrum fr. 294 (K III 84 = mon. 688) *οὐδεὶς ἐπλούτησεν ταχέως δίκαιος ὤν*; eiusdem gnom. mon. 52 *ἀνὴρ δίκαιος πλοῦτον οὐκ ἔχει ποτέ*, Antiph. fr. 258 (K II 120 = mon. 300) *καλῶς πενέσθαι μᾶλλον ἢ πλουτεῖν κακῶς*, denique Platonem d. rep. VIII 550 E *ἢ οὐχ οὕτω πλούτου ἀρετὴ διέστηκεν, ὥσπερ ἐν πλάστιγγι ζυγοῦ κειμένου ἑκατέρου, ἀεὶ τοὐναντίον ῥέποντε.*

Atque ut his locis virtuti, ita aliis opponitur plutus nobilitati, Sophocl. Alet. fr. 103 N²:

δεινόν γε τοὺς μὲν δυσσεβεῖς κακῶν ⟨τ'⟩ ἄπο
βλαστόντας εἶτα τούσδε μὲν πράσσειν καλῶς,
τοὺς δ' ὄντας ἐσθλοὺς ἔκ τε γενναίων ἅμα
γεγῶτας εἶτα δυστυχεῖς πεφυκέναι.
οὐ χρῆν τάδ' οὕτω δαίμονας θνητῶν πέρι
τάσσειν· ἐχρῆν γὰρ τοὺς μὲν εὐσεβεῖς βροτῶν
ἔχειν τι κέρδος ἐμφανὲς θεῶν πάρα,
τοὺς δ' ὄντας ἀδίκους τούσδε τὴν ἐναντίαν
δίκην κακῶν τιμωρὸν ἐμφανῆ τίνειν·
κοὐδεὶς ἂν οὕτως ηὐτύχει κακὸς γεγώς.

Vix est quod moneam, Sophoclem hic Theognidis versus supra adlatos in animo habere. Neque aliter Euripides in Sthenoboeae prologo fr. 661 N²:

οὐκ ἔστιν ὅστις πάντ' ἀνὴρ εὐδαιμονεῖ·
ἢ γὰρ πεφυκὼς ἐσθλὸς οὐκ ἔχει βίον,
ἢ δυσγενὴς ὢν πλουσίαν ἀροῖ πλάκα.

Maxime vero indignantur poetae, quod laus, quam iam Hesiodus pluti comitem vocavit, etiam ignavo aut plebeio tribui solet, dummodo re familiari polleat. Ita iam Bias monuerat (Diels II p. 523, 8) ἀνάξιον ἄνδρα μὴ ἐπαίνει διὰ πλοῦτον, lamentantur Theognis 1117 sq. σὺν σοὶ (πλοῦτος) καὶ κακὸς ὢν γίγνεται ἐσθλὸς ἀνήρ, et Bacchylides IX 49:

οἶδα καὶ πλούτου μεγάλην δύνασιν,
ἃ καὶ τ[ὸ]ν ἄχρειον τί[θησ]ι
χρηστόν,

vituperat Euripides fr. 20 N²:

μὴ πλοῦτον εἴπῃς· οὐχὶ θαυμάζω θεόν,
ὃν χὠ κάκιστος ῥᾳδίως ἐκτήσατο,

fr. 960 N²: πλούτῳ δ' ἀρετὰν κατεργάσασθαι δοκεῖτε,
fr. 95 N²: ἀλλ' οὐδὲν ηὐγένεια πρὸς τὰ χρήματα·
τὸν γὰρ κάκιστον πλοῦτος εἰς πρώτους ἄγει;

atque idem sentit Hercules in Phaedri fabula Aesopea IV 12, 3 sqq.:

Caelo receptus propter virtutem Hercules
cum gratulantes persalutasset deos,
veniente Pluto, qui Fortunae est filius,
avertit oculos. causam quaesivit pater.
‚odi', inquit, ‚illum, quia malis amicus sit
simulque obiecto cuncta corrumpit lucro.'

Vanae autem huic divitiarum admirationi vel sapientes obnoxios esse fabula docet modo de Simonide, modo de Socrate, modo de Antisthene, modo de Aristippo narrata.[1]) Quorum quisquis fuit interrogatus, utrum divitiae praeferendae sint an sapientia respondisse dicitur: ‚nescio; sed animadverto sapientes quoque divitum portas adire.' Quod illi non sine acerbitate rident, id alii severo ore adfirmant, diviti sapientiam non minus

[1]) De Simonide Aristot. rhet. II 16, p. 1391 a 8 sq. et Stob. flor. IV 31, 32; de Socrate schol. Plat. [repbl. VI 1, p. 489 B] p. 931 b 27 sqq.; de Antisthene frg. 82 Mull. II p. 289; de Aristippo Diog. Laert. II 68.

opus esse quam virtutem, immo plus valere sapientiam quam divitias, Euripides fr. 163 N²:

ἀνδρὸς φίλου δὲ χρυσὸς ἀμαθίας μέτα
ἄχρηστος, εἰ μὴ κἀρετὴν ἔχων τύχοι

idem si Bergkio fidem habemus fr. inc. 130 (p. 867) = Bergk III⁴ p. 744:

πότνια σοφία, σύ μοι ἅνδανε·
ὄλβον δ' ἐμοὶ μὴ χρυσέου φαεννὰν
ἀκτῖνα δαίμων διδοίη
πάρος σοφίας ἢ τυραννίδα.

Menand. mon. 482 *σοφία δὲ πλούτου κτῆμα τιμιώτερον*, Theognet. fr. 1, 3 (K III 364):

ἀλλότριόν ἐσθ' ὁ πλοῦτος. ἀνθρώπῳ, πάχνη·
σοφία δ' ἴδιον, κρύσταλλος. οὐδεὶς πώποτε
ταύτην λαβὼν ἀπώλεσ'.

Isocrates in Demon. 6 (or. I Blass), Parmenio Anth. Pal. IX 43, 3 *μισῶ πλοῦτον ἄνουν*. Atque Menander queritur plutum cum ipse ratione careat vel prudentes stultos reddere fr. 665 (K III 194):

πλοῦτος ἀλόγιστος προσλαβὼν ἐξουσίαν
καὶ τοὺς φρονεῖν δοκοῦντας ἀνοήτους ποιεῖ.

Praeterea etiam iniustitiam cum magnis divitiis coniunctam esse queritur Euripides fr. 55 N²:

ἄδικον ὁ πλοῦτος, πολλὰ δ' οὐκ ὀρθῶς ποιεῖ,

itaque Crates l. c. iubet *δικαιοσύνης μετέχειν καὶ πλοῦτον ἀγινεῖν κτλ.* (v. p. 246), nam *δύναται τὸ πλουτεῖν καὶ φιλανθρώπους ποιεῖν,* ut dicit Menander fr. 19 (K III 8).

Deinde saepe insatiabilis cupiditas in divitum animis nascitur, Solo *εἰς ἑαυτόν* v. 71 *πλούτου δ' οὐδὲν τέρμα πεφασμένον ἀνδράσι κεῖται*, Theogn. 1158 *οὔτε γὰρ ἂν πλούτου θυμὸν ὑπερκορέσαις*, Euripides fr. 419 *βίᾳ νυν ἕλκετ' κτλ.* (v. p. 245), itaque laudat Andocides I 131 *πλοῦτον καὶ σωφροσύνην*.

Denique pessimus est plutus iuvenum educator, nam luxuries ignavos, paupertas strenuos reddit, Euripides fr. 54 N²:

κακόν τι παίδευμ' ἦν ἄρ' εἰς εὐανδρίαν
ὁ πλοῦτος ἀνθρώποισιν αἵ τ' ἄγαν τρυφαί·

πενία δὲ δύστηνον μέν, ἀλλ' ὅμως τρέφει
μοχθεῖν τ' ἀμείνω τέκνα καὶ δραστήρια.

Cf. schol. Phoen. 597.

Omnibus his in iudiciis nihil inest, ex quo concludi possit Plutum antiquum fuisse deum; sed cum primum figura humana indutus est, propter iniustitiam, qua bonos neglegit, malos auget, ignavus (*δειλός*) vocatur et tamquam caecus inducitur. Primus, quantum scimus, hoc fecit Hipponax Ephesius fr. 20 (Bergk III⁴ p. 470):

Ἐμοὶ δὲ Πλοῦτος, ἔστι γὰρ λίην τυφλός,
ἐς τῴκί' ἐλθὼν οὐδάμ' εἶπεν· 'Ἱππῶναξ,
δίδωμί σοι μνᾶς ἀργύρου τριήκοντα,
καὶ πόλλ' ἔτ' ἄλλα· τὰς φρένας γὰρ δείλαιος'.

Ac profecto poeta hoc mendico et insolenti tale inventum dignissimum est, quod tamen tantum plausum tulit, ut etiam poetae politiores, immo summi ingenii id suum fecerint. Inter quos primus est Timocreo Rhodius acerbitate Hipponacti non dispar frg. 8 (Bergk III⁴ 540):

Ὤφελέν σ', ὦ τυφλὲ Πλοῦτε, μήτε γῇ μήτ' ἐν θαλάσσῃ μήτ'
ἐν ἠπείρῳ φανῆμεν,
ἀλλὰ Τάρταρόν τε ναίειν κἀχέροντα· διὰ σὲ γὰρ σύμπαντ'
ἐν ἀνθρώποις κακά.

Plurimum vero ad Pluti caecitatem pervolgandam Plutus Aristophanea valuisse videtur, cuius argumentum paucis complectar: Chremylo Atheniensi viro pauperi sed honesto quomodo dives fieri posset quaerenti ab Apolline responsum erat, ut primum hominem obvium subsequeretur. Chremylus seni sordido et caeco incidit, qui primum cunctatus denique coactus Plutum se esse confitetur, illum domum secum ducit eique oculorum lumina redditurum se esse pollicetur. Plutus in Aesculapii templo sanatus[1]) cum ipse vidisset, qualibus hominibus bona ac divitias largitus esset, efficit, ut boni probique tantum omnibus rebus abundent, mali autem in summas angustias adducantur. Denique magna cum pompa in arcem ducitur ibique in Minervae

[1]) Cf. O. Weinreich, Antike Heilwunder 1909 p. 95 sqq., Religionsgesch. Vorarb. u. Versuche VIII 1.

templo collocatur, ne umquam rem publicam pecuniae deficiant. Sed antequam haec omnia perficiuntur, Paupertatis persona inducitur, vehementissime in Chremylum eiusque vicinum Blepsidemum invehitur: si Plutum videntem reddiderint, si Paupertatem expulerint, omnes homines summis malis adfectum iri, nam divitem laborem fugere; in labore autem rerum humanarum salutem positam, quem non Plutus doceat sed Paupertas; plurimum enim interesse inter pauperem et mendicum. Similia iam supra apud Euripidem fr. 54 (*κακόν τι παίδευμ' κτλ.*) deprehendimus; idem in alia fabula dixit fr. 641 N²:

ἐν τῷ γὰρ ὄλβῳ φαυλότης ἔνεστί τις,
πενία δὲ σοφίαν ἔλαχε διὰ τὸ συγγενές.

Zenob. V 72 (Leutsch I 149): *πενία δὲ σοφίαν ἔλαχε· παρόσον οἱ πένητες πολλὰς τέχνας ἐπιτηδεύουσιν*; cf. Antiph. fr. 293 (K II 127); Luc. Tim. c. 33. Similia Demaratus Herodoteus exponit VII 102: *τῇ Ἑλλάδι πενίη μὲν αἰεί κοτε σύντροφός ἐστι, ἀρετὴ δὲ ἔπακτός ἐστι, ἀπό τε σοφίης κατεργασμένη καὶ νόμου ἰσχυροῦ· τῇ διαχρεωμένη ἡ Ἑλλὰς τήν τε πενίην ἐπαμύνεται καὶ τὴν δεσποσύνην.* Neque alio consilio Gaditani Paupertati et Arti (*Πενίᾳ καὶ Τέχνῃ*) aram dedicaverunt.[1]) Apud Aristophanem hic *ἀγὼν λόγων*, in quo a Chremylo et Paupertate hac de controversia disputatur, cardo totius fabulae est. Vincit re vera Paupertas; id quod ipse Chremylus verbis (v. 600) *οὐ γὰρ πείσεις, οὐδ' ἢν πείσῃς* invitus confitetur. Nihilominus Paupertas expellitur; minitata (v. 608) *ἦ μὴν ὑμεῖς γ' ἔτι μ' ἐνταυθοῖ μεταπέμψεσθον* abit. Exspectaveris hanc comminationem in ipsa fabula ratam fieri, mala, quae cum divitiis conexa sunt, ante spectatorum oculos evolvi. Sed haec exspectatio egregie nos fallit. Nam id agendum poetae erat, ut divitiae rei publicae Atheniensium confirmentur, neque antiquae comoediae est incepta ad certum finem perducere.

Plutus, quam nos tenemus, altera huius tituli fabula Aristophanea, ut ex argumento quarto elucet Ol. 97, 4, archonte Anti-

---

[1]) Aelian. fr. 19 (Herch. II 195), Philostr. vit. Apoll. Tyan. I 167. Cf. verba Paupertatis apud Arst. Plut. 532 sqq. . . . . *ἐγὼ γὰρ τὸν χειροτέχνην ὥσπερ δέσποιν' ἀπαναγκάζουσα κάθημαι διὰ τὴν χρείαν καὶ τὴν πενίαν ζητεῖν ὁπόθεν βίον ἕξει.*

patro i. e. anno 388 docta est; priorem viginti annis antea Ol. 92, 4. Diocle archonte i. e. anno 408 actam esse docet scholium Plut. v. 173. Sed huius fabulae tam pauca fragmenta servata sunt,[1]) ut de argumento prorsus nihil sciamus, immo ne id quidem pro certo adfirmari possit, fabulam servatam retractationem deperditae esse, quamvis id per se valde probabile sit. Certe mire fecit Ritterus, dum in uno maiore fragmento servato 442 K:

τῶν λαμπαδηφόρων τε πλεῖστον αἰτίαν
τοῖς ὑστάτοις πλατειῶν

de malis paupertatis agi censet. Nam ad Ran. v 1089 sqq.:

μὰ Δί' οὐ δῆθ', ὥστε γ' ἀφαυάνθην
Παναθηναίοισι γελῶν, ὅτε δὴ
βραδὺς ἄνθρωπός τις ἔθει κύψας
λευκός, πίων, ὑπολειπόμενος,
καὶ δεινὰ ποιῶν· κᾆθ' οἱ Κεραμῆς
ἐν ταῖσι πύλαις παίουσ' αὐτοῦ
γαστέρα, πλευράς, λαγόνας, πυγήν·
ὁ δὲ τυπτόμενος ταῖσι πλατείαις
ὑποπερδόμενος
φυσῶν τὴν λαμπάδ' ἔφευγε

Euphronius hos versus nullo alio consilio adscripsit, nisi ut ostenderet, dum lampadephori ceramicum transcurrerent, tardos eorum ab adulescentulis plagas accipere, schol. Ran. 1093: *τοῦτο δέ φησιν Εὐφρόνιος, ὅτι ἀπὸ τοῦ ἐν Κεραμεικῷ ἀγῶνος τῆς λαμπάδος, καὶ τοὺς ὑστάτους τρέχοντας ἀπὸ τῶν ἀγοραίων τύπτεσθαι πλατείαις ὑπὸ τῶν νεανίσκων χερσί· καὶ λέγονται αἱ τοιαῦται Κεραμεικαὶ πληγαί. ἐμφαίνεται δὲ ἀπὸ τούτων ὅτι παρὰ τοῖς Κεραμεικοῖς τοῦτο μάλιστα γίνεται.* Harum autem plagarum causam qualem dixerit Aristophanes utrum tarditatem an pinguedinem an viae aliquod obstaculum ex verbis exscriptis cognosci nequit. Id tantum mihi satis probabile videtur *πλεῖστον* non in *πλείστων*, sed in *πλείστην* corrigendum esse, ita ut cum *αἰτίαν* coniungatur.

[1]) C. F. Herrmann, Über den ersten Plutus des Aristophanes, opusc. 1839 p. 39 sqq.; Ludwig, Comment. philol. Ienens. IV 1890 p. 61 sqq.

Ad argumentum autem fabulae inlustrandum hi versus prorsus nihil valent.

Sed redeamus ad Pluti figuram, qualem Aristophanes in fabula servata induxit; nam id quoque cum Hipponactis Pluto commune habet, ut non solum caecus sit, sed etiam ignavus vocetur; *ὦ δειλότατε πάντων δαιμόνων* eum compellat Chremylus v. 123; ex eodem audimus, illud si dis placet cognomen, cuius testem antiquissimum Hipponactem invenimus, per populi ora divulgatum fuisse vs. 202 sq. *ἀλλὰ καὶ λέγουσι πάντες ὡς δειλότατόν ἐσθ' ὁ πλοῦτος.* Quod opprobrium Plutus hac historiola respuit vs. 203 sqq.:

ἥκιστ', ἀλλά με
τοιχωρύχος τις διέβαλ'. εἰσδὺς γάρ ποτε
οὐκ εἶχεν εἰς τὴν οἰκίαν οὐδὲν λαβεῖν,
εὑρὼν ἁπαξάπαντα κατακεκλῃμένα.
εἶτ' ὠνόμασέν μου τὴν πρόνοιαν δειλίαν.

Peculiare vero Aristophanis est, quod Plutus et grandior natu (*πρεσβύτην* v. 265) et squalido habitu spectatoribus ostenditur, quem Cario ita choro describit v. 266 *ῥυπῶντα, κυφόν, ἄθλιον, ῥυσόν, μαδῶντα, νωδόν.* Num hac in re Aristophanes praecessorem quemquam habuerit, pro certo diiudicari nequit; nam neque Cratini *Πλοῦτοι* in censum venire possunt, in quibus si revera Plutus multiplicatus chorum repraesentabat, cum aurei aevi deliciae proponerentur, certe hi Pluti neque caeci nec squalidi, sed amoenis oribus esse debebant, quamquam multo probabilius est *Πλοῦτοι* titulum non ad personas sed ad abundantiae notionem spectare, ut in locis a Meinekio et Kockio adlatis, Plat. Gorg. 523 C *πολλοὶ οὖν, ἦ δ' ὅς, ψυχὰς πονηρὰς ἔχοντες ἠμφιεσμένοι εἰσὶ σώματά τε καλὰ καὶ γένη καὶ πλούτους,*[1]) Eurip. fr. 137 *τῶν γὰρ πλούτων οὐδ' ἄριστος γενναῖον λέχος εὑρεῖν.* Nec magis in censum venit Epicharmi *Ἐλπὶς ἢ Πλοῦτος,*[2]) qua de fabula nil compertum habemus, nisi parasitum aliquem inductum esse. Fac recte Birtium statuisse

---

[1]) Cf. versum Eupolidis supra p. 244 adn. 1 adlatum *πλούτῳ τε γένει τε πρῶτοι.*

[2]) Kaibel, Hermes XXIV p. 54, 1; Th. Birt, Elpides, Marburg 1881; cf. Hermes XXXVI (Nachruf auf Kaibel).

titulum ad Spei et Pluti colloquium pertinere, tum vix cogitari potest, Plutum illum tanto opere speratum non venusto habitu prodiisse. Sed si recte Birtius iudicaverit, exspectaveris titulum esse *Ἐλπὶς καὶ Πλοῦτος*, velut *Γᾶ καὶ Θάλασσα, Λόγος καὶ Λογίνα*, non *Ἐλπὶς ἢ Πλοῦτος*. Itaque hic quoque probabilius esse censeo, spei et abundantiae notiones indicari, non personas. Iam si perpenderis Plutum ab Aesculapio sanatum Demo recocto, quem Aristophanes in Equitibus induxerat, non esse dissimilem, concedes inventum illud, de quo agimus, huius poetae indoli et ingenio valde accommodatum esse, nec dubitari potest, quin Plutus e Piraeo reversus (v. 771 sqq.) sordibus illis depositis splendido ornatu introductus sit.

Num Aristophanes hac fabula vicerit, nescimus; certe valde eam placuisse inde concludi potest, quod extemplo duae imitationes secutae sunt. Nam et Archippus, etiam ceteroquin Aristophanis imitator, eiusdem tituli docuit fabulam, quam ad Aristophanis exemplum compositam fuisse demonstravit Kaibel,[1] et Nicostratus, quem cum Apollodorus pro Aristophanis filio vendiderit,[2] cum in ceteris tum hac in fabula arte illius vestigia pressisse nostro iure colligimus.

Itaque aut Hipponactis aut Aristophanis aut utriusque auctoritate factum est, ut per totam fere antiquitatem Plutus et caecus audiat et ignavus: Amphis fr. 23 (K II 242) *τυφλὸς ὁ Πλοῦτος εἶναί μοι δοκεῖ*, Theocr. X 19 (Wil.²) *τυφλὸς δ' οὐκ αὐτὸς ὁ Πλοῦτος ἀλλὰ καὶ ὠφρόντιστος Ἔρως*, ex quo pendet Nicetas Eugenianus V 211 *Ἔρως δὲ τυφλός, οὐ γὰρ ὁ Πλοῦτος μόνος*, Dio Prus. IV 93 (I 74, 4 Arnim) *τυφλοῦ δικαίως καὶ λεγομένου καὶ γραφομένου* (v. cap. IV) *τοῦ Πλούτου τυφλότερος ἐραστής*, Luc. Tim. 20 *ΕΡΜ. Προίωμεν, ὦ Πλοῦτε, τί τοῦτο; ἐλελήθεις με, ὦ γεννάδα, οὐ τυφλὸς μόνον, ἀλλὰ καὶ χωλὸς ὤν*, Clemens Alex. protr. 81 P (73, 24 Staehlin) *ἐπεὶ μηδὲ πολιτεία μηδὲ δόξα μηδὲ πλοῦτος θεοὶ ὃν καὶ ζωγράφοι* (cf. cap. IV) *τυφλὸν δεικνύουσι*, Macarius VIII 60 (Leutsch II 233) *τυφλὸς ὁ Πλοῦτος· ἐπὶ τῶν ἀναξίως εὐπρα-*

[1]) Hermes XXIV 1889 p. 55 sqq., et apud P-W II 542 nr. 11. Fragmenta ap. Kockium I 686 sq. fr. 35—39.

[2]) Falsa haec esse evincit Kaibel ap. P-W II 972.

γούντων. Antiphanes vero Plutum utpote ipsum caecum homines quoque caecos reddere dixit fr. 259 (K II 121):

ὁ δὲ Πλοῦτος ἡμᾶς, καθάπερ ἰατρὸς κακός
πάντας βλέποντας παραλαβὼν τυφλοὺς ποιεῖ.

Quem imitatus est Menander fr. 83 (K III 26): *τυφλὸν ὁ πλοῦτος καὶ τυφλοὺς τοὺς ἐμβλέποντας εἰς ἑαυτὸν δεικνύει.* Theophrastus vero ludibundus Plutum *ἄπλουτον καὶ ἄζηλον*[1]) nominat; Plut. de cup. div. VIII p. 527 B (III 364, 1 Bern.): *ἀλλὰ τυφλὸς καὶ ἄπλουτος ὁ Πλοῦτός ἐστιν, ὥς φησι Θεόφραστος καὶ ἄζηλος ἀληθῶς,* quaest. conv. V 2 p. 679 (IV 195, 14 Bern.): *ἄπλουτον γὰρ οἴονται τὸν Πλοῦτον καὶ τυφλὸν ἀληθῶς,* ad quod spectat Apostolius I 53 (L. II 253): *ἄζηλος Πλοῦτος ὅτι τυφλός· ἐπὶ τῶν κεκτημένων τι καλὸν ἄδηλον.* Atque ab eodem Theophrasti apophthegmate profectus idem Plutarchus, ubi de Lacedaemoniorum syssitiis agit, sic lepide iocatur Lyc. X (vit. parall. I 89, 8 Sint.): *Μέγα μὲν οὖν καὶ τοῦτο ἦν, μεῖζον δὲ τὸ τὸν πλοῦτον ἄζηλον, ὥς φησι Θεόφραστος, καὶ ἄπλουτον ἀπεργάσασθαι τῇ κοινότητι τῶν δείπνων καὶ τῇ περὶ τὴν δίαιταν εὐτελείᾳ. Χρῆσις γὰρ οὐκ ἦν οὐδὲ ἀπόλαυσις οὐδὲ ὄψις ὅλως ἢ ἐπίδειξις τῆς πολλῆς παρασκευῆς, ἐπὶ τὸ αὐτὸ δεῖπνον τῷ πένητι τοῦ πλουσίου βαδίζοντος· ὥστε τοῦτο δὴ τὸ θρυλούμενον ἐν μόνῃ τῶν ὑπὸ τὸν ἥλιον πόλεων τῇ Σπάρτῃ βλέπεσθαι, τυφλὸν ὄντα τὸν πλοῦτον καὶ κείμενον ὥσπερ γραφὴν ἄψυχον καὶ ἀκίνητον. Οὐδὲ γὰρ οἴκοι προδειπνήσαντας ἐξῆν βαδίζειν ἐπὶ τὰ συσσίτια πεπληρωμένους, ἀλλ' ἐπιμελῶς οἱ λοιποὶ παραφυλάττοντες τὸν μὴ πίνοντα μηδὲ ἐσθίοντα μετ' αὐτῶν ἐκάκιζον ὡς ἀκρατῆ καὶ πρὸς τὴν κοινὴν ἀπομαλακιζόμενον δίαιταν.* Contra Herodi Attico blanditus Philostratus sic opinionem communem impugnat soph. II 56, 3 (Kays.): *προσδιαβάλλουσι δὲ ὡς*

---

[1]) Contrarium dicit Bacchylides IX 47:

τὸ μὲν κάλλιστον ἐσθλῶν,
ἄνδρα πολλῶν ὑπ' ἀνθρώπων πολυζήλωτον εἶμεν·
οἶδα καὶ πλούτου μεγάλην δύνασιν,
ἃ καὶ τ[ὸ]ν ἀχρεῖον τί[θησ]ι
χρηστόν.

Ac nescio an Theophrastus hos ipsos versus impugnare voluerit.

καὶ τυφλὸν τὸν Πλοῦτον, ὃς εἰ καὶ τὸν ἄλλον χρόνον ἐδόκει τυφλός, ἀλλ' ἐπὶ Ἡρώδου ἀνέβλεψεν. Eodemque consilio Claudius Aelianus ep. XVII (Epistologr. Graec. p. 21 ed. Hercher): *Οὐκ ἔλεγον ὅτι Πλοῦτον ὁρῶντα ὀξὺ καὶ οὐ τυφλὸν ἀνεῦρες, καὶ καταγελᾷς μου καὶ τῆς γῆς καὶ τῆς τύχης, ἐπεὶ τῶν χρηστῶν καὶ ἐπιμέλειαν τίθεται;*

Neque rarius, ut iam ex Pluti versu 207 supra p. 253 adlato adparet, Plutus ignavus vocatus esse debet, quamquam testes superstites, paroemiographos dico,[1]) omnes Euripidis Phoenissarum v. 597 *δειλὸν ὁ πλοῦτος καὶ φιλόψυχον κακόν*[2]) recantant. Idem iam de Carcino tragico valeret, cui in Stobaei florilegio IV 31, 60 (Hense) hic versus (fr. 9 N² p. 800): *δειλὸν ἔσθ' ὁ πλοῦτος καὶ φιλόψυχον κακόν* tribuitur, nisi recte Nauckius statuisset, illic Euripidis nomen et Carcini versum similem intercidisse.

Tristi vero huic Pluti imagini, qua pericula et vitia cum abundantia coniuncta a viris severioribus depinguntur, opposita est dulcis eius species, qua opinio popularis hunc ubertatis prosperitatisque auctorem induit. Ipse Theognis, qui tam vehementer in eum invehitur, omnium deorum pulcherrimum ac venustissimum eum vocat v. 1116:

Πλοῦτε, θεῶν κάλλιστε καὶ ἱμεροέστατε πάντων,
σὺν σοὶ καὶ κακὸς ὢν γίνεται ἐσθλὸς ἀνήρ.

Unde cave ne concludas Theognidem vel Euripidem[3]) Plutum eodem sensu deum nominare atque e. g. Neptunum et Minervam. Immo, ut iam initio monui, hoc est graecae cogitationis proprium, ut fere quamlibet notionem divinitate donare

---

[1]) Zenobius III 35 (L. I 66): *Δειλὸν ὁ Πλοῦτος· παρόσον οἱ πλούσιοι τὰς οἰκίας ἀσφαλίζονται καὶ κύνας τρέφουσι καὶ πολλὰς ἑαυτῶν ποιοῦνται φύλακας*; Diogenianus II 53 (L. II 23): *Δειλὸν ὁ Πλοῦτος· ἐπειδὴ οἱ πλούσιοι τὰς οἰκίας ἀσφαλίζονται*; Apostolius V 89a (L. II 377): *Δειλόν θ' ὁ Πλοῦτος καὶ φιλόψυχον κακόν· παρόσον οἱ πλούσιοι ἀσφαλίζονται*; Macarius III 27 (L. II 156): *Δειλὸν ὁ Πλοῦτος· παρόσον οἱ πλούσιοι τὰς οἰκίας ἀσφαλίζονται καὶ κύνας τρέφουσιν*; Eustathius p. 515, 14: *Δειλὸν ὁ Πλοῦτος καὶ φιλόψυχον κακόν.*

[2]) Cf. etiam eiusdem frg. 54 supra (p. 249) adlatum et scholium ad Phoenissarum versum 597.

[3]) Frg. 20 N²: *μὴ Πλοῦτον εἴπῃς· οὐχὶ θαυμάζω θεόν,*
ὃν χὠ κάκιστος ῥᾳδίως ἐκτήσατο.

possit; conferas Aesch. Choeph. 59 *τὸ δ' εὐτυχεῖν τόδ' ἐν βροτοῖς θεός τε καὶ θεοῦ πλέον;* Eurip. Helen. 560 *θεὸς γὰρ καὶ τὸ γιγνώσκειν φίλους;* Men. fr. 257 (K III 74) *ὦ μεγίστη τῶν θεῶν νῦν οὖσ' ἀναίδει', εἰ θεὸν καλεῖν σε δεῖ. δεῖ δέ· τὸ κρατοῦν γὰρ νῦν νομίζεται θεός.*

Sed singuli ut huius dei donis recte frui possint, opus est sanitate. Audias Telephum Euripideum fr. 714 N²:

> *τί γάρ με πλοῦτος ὠφελεῖ νόσῳ (βαρύν;)*
> *σμίκρ' ἂν θέλοιμι καὶ καθ' ἡμέραν ἔχων*
> *ἄλυπος οἰκεῖν μᾶλλον ἢ πλουτῶν νοσεῖν,*

et Socratem personatum in Stobaei florilegio IV 31, 108: *οὔτε τὸν ἄρρωστον ἡ χρυσῆ ὠφελεῖ κλίνη οὔτε τὸν ἀνόητον ἡ ἐπίσημος εὐτυχία.*

Inde nascitur arta Pluti cum Hygiea necessitudo, quae vel uno vocabulo comprehenditur *πλουθυγίεια,*[1]) Aristoph. Equ. 1090 sq.:

> *ἀλλ' ἐγὼ εἶδον ὄναρ, καὶ μοὐδόκει ἡ θεὸς αὐτὴ*
> *τοῦ δήμου καταχεῖν ἀρυταίνῃ πλουθυγίειαν,*

Vesp. 675 sqq.:

> *τούτοισι δὲ δωροφοροῦσιν*
> *ὕρχας οἶνον δάπιδας τυρὸν μέλι σήσαμα προσκεφάλαια*
> *φιάλας χλανίδας στεφάνους ὅρμους ἐκπώματα πλουθυγίειαν,*

Aves 729 sqq.:

> *ἀλλὰ παρόντες δώσομεν* (aves) *ὑμῖν*
> *αὐτοῖς, παισίν, παίδων παισίν,*
> *πλουθυγίειαν*
> *εὐδαιμονίαν βίον εἰρήνην*
> *νεότητα γέλωτα χοροὺς θαλίας*
> *γάλα τ' ὀρνίθων.*

Eandem *πλουθυγίειαν* habes in carmine rituali Boeotico, quod in caerimonia vetustissima, quae *βουλίμου ἐξέλασις* dicebatur,

[1]) Idem Pindarus Ol. V 23 verbis *ὑγίεντα ὄλβον* exprimit; cf. Schol. 54 c (p. 151, 20 Drachm.): *εἰ δὲ πλοῦτον ἔχει τις μεθ' ὑγιείας, διοικῶν αὐτὸν καὶ δαπανῶν ὅπως πρεπῶδές ἐστιν, τύχῃ δὲ καὶ ὕμνῳ εὐφημεῖσθαι, μὴ ζητείτω θεὸς γενέσθαι· ταῦτα γὰρ αὐτῷ ἱκανά.*

solemne erat. De qua dicit Plutarchus[1]) quaest. conv. VI 8 p. 693 F (IV 237 Bern.): *Θυσία τις ἔστι πάτριος, ἣν ὁ μὲν ἄρχων ἐπὶ τῆς κοινῆς ἑστίας δρᾷ, τῶν δ' ἄλλων ἕκαστος ἐπ' οἴκου· καλεῖται δέ· „βουλίμου ἐξέλασις·" καὶ τῶν οἰκέτων ἕνα τύπτοντες ἀγνίναις ῥάβδοις διὰ θυρῶν ἐξελαύνουσιν, ἐπιλέγοντες „ἔξω βούλιμον, ἔσω δὲ πλοῦτον καὶ ὑγίειαν".* Pro *πλοῦτον καὶ ὑγίειαν* dicendum esse *πλουθυγίειαν* primus vidit Cobetus versum sic restituens *ἔξω ⟨μὲν⟩ βούλιμον, ἔσω ⟨δὲ⟩ πλουθυγίειαν,* quo melius Bergkius *ἔξω ⟨τὸν⟩ βούλιμον, ἔσω ⟨τὰν⟩ πλουθυγίειαν* scripsit. Iniuria Mannhardtius et qui eum secuti sunt[2]) ritum Germanorum, qui *„Schlag mit der Lebensrute"* dicitur, comparaverunt; cuius carmen solemne est (Mannhardtius l. c. I p. 280):

Nicht ich schlage / die Weide schlägt
In einer Woche ist Ostertag.
Krankheit in den Wald!
Gesundheit in die Beine!

Nam virga haec salignea homini pulsato morbum expellit, sanitatem infigit. Contra miser ille servus Boeoticus ipse famis et morbi vice fungitur et plagis e domo eicitur. Multo rectius *φαρμάκους* Athenienses et victimas Leucadias[3]) comparaveris.

Atque Aristophanes, ut paululum ad eum redeamus, etiam in ea parte Avium, quae *ἀγῶνα λόγων* continet, plutum et sanitatem tamquam summum bonum, quae homines a diis sperant, significat 592:

πλουτεῖν δὲ πόθεν δώσομεν αὐτοῖς; καὶ γὰρ τούτου σφόδρ' ἐρῶσιν,

deinde 603:

πῶς δ' ὑγιαίνειν δώσουσ' αὐτοῖς, οὖσαν παρὰ τοῖσι θεοῖσι;[4])

---

[1]) Cf. O. Kern, Arch. f. Religionsw. XV 1912 p. 642.

[2]) Mannhardt, Wald- u. Feldkulte I 1875 p. 251 sqq. 257. 283. Fehrle, Kultische Keuschheit im Altertum 1910 p. 145 sqq. Religionsg. Vers. u. Vorarb. VI.

[3]) Preller-Robert I⁴ 261 sq. 262, 1; E. Rohde, Psyche II⁵ 78, 2. Cf. Hippon. fr. 4 (Bergk II⁴ 462).

[4]) Cf. de his versibus Robert, Herm. XXXIII 1898 p. 566 sqq.

cui adnectit vitae longitudinem, quippe quae in sanitate posita sit, v. 606:

πῶς δ' ἐς γῆρας ποτ' ἀφίξονται; καὶ γὰρ τουτ' ἔστ' ἐν Ὀλύμπῳ.

Eodem sensu sed parvo censu contentus Bacchylides dixerat I 160 sqq.:

εἰ δ' ὑγιείας
θνατὸς ὢν ἔλαχεν
ζώειν τ' ἀπ' οἰκείων ἔχει
πρώτοις ἐρίζει.

Idem celeberrimum illud scolium praedicat, de quo haec Plato in Gorgia 451 D: *ΓΟ. Τὰ μέγιστα τῶν ἀνθρωπείων πραγμάτων, ὦ Σώκρατες, καὶ ἄριστα. ΣΩ. Ἀλλ', ὦ Γοργία, ἀμφισβητήσιμον καὶ τοῦτο λέγεις καὶ οὐδέν πω σαφές· οἴομαι γάρ σε ἀκηκοέναι ἐν τοῖς συμποσίοις ᾀδόντων ἀνθρώπων τοῦτο τὸ σκολιόν, ἐν ᾧ καταριθμοῦνται ᾄδοντες, ὅτι ὑγιαίνειν μὲν ἄριστόν ἐστι, τὸ δὲ δεύτερον καλὸν γενέσθαι, τρίτον δέ, ὥς φησιν ὁ ποιητὴς τοῦ σκολιοῦ, τὸ πλουτεῖν ἀδόλως.* Scolium integrum servavit Athenaeus XV 694 E (Bergk III⁴ p. 645 nr. 8):

Ὑγιαίνειν μὲν ἄριστον ἀνδρὶ θνατῷ,
δεύτερον δέ, φυὰν καλὸν γενέσθαι,
τὸ δὲ τρίτον πλουτεῖν ἀδόλως,
καὶ τὸ τέταρτον ἡβᾶν μετὰ τῶν φίλων.[1])

Sane Plutus hic tertium demum locum tenet, sed luce clarius est, pulchritudinem a sanitate pendere atque quodammodo alti-

---

[1]) De variis auctoribus, quibus scolium attribuebatur, recte iudicavit Bergkius Reitzensteinio adsentiente (Epigramm u. Skolion 1893, p. 17). Scolium, ut plurima alia, adespoton erat, sed cum et Simonides in carmine aliquo eius meminisset et Epicharmus qui dicitur primum eius versum in usum suum convertisset (Kaibel FCG I p. 140 fr. 262*), alii Simonidem alii Epicharmum pro auctore habuerunt. Ceterum confer Plat. leg. I 631 C, II 661 A; Luc. pro laps. in salut. c. VI; schol. ad Plat. Gorg. 451 E., Plat. leg. II 661 A; paullo aliter antea I 631 C: *ἔστι δὲ τὰ μὲν ἐλάττονα ὧν ἡγεῖται μὲν ὑγίεια, κάλλος δὲ δεύτερον, τὸ δὲ τρίτον ἰσχὺς εἰς τὸν δρόμον καὶ εἰς τὰς ἄλλας πάσας κινήσεις τῷ σώματι, τέταρτον δὲ δὴ πλοῦτος.*

orem eius gradum esse,[1]) sicut id quod quarto loco positum est *τὸ ἡβᾶν μετὰ τῶν φίλων* iis tantum conceditur, qui et corpore et re familiari vigent, ita ut etiam huius scolii cardo in pluto et sanitate vertatur. Atque iam Theognis dixerat v. 1121:

ὄφρα βίον ζώοιμι κακῶν ἔκτοσθεν ἁπάντων,
ἥβῃ καὶ πλούτῳ θυμὸν ἰαινόμενος.

Non recte igitur Anaxandridem comicum ordinem vituperare duco, dum scribit fr. 17 (K II 142):

ὁ τὸ σκολιὸν εὑρὼν ἐκεῖνος, ὅστις ἦν,
τὸ μὲν ὑγιαίνειν πρῶτον ὡς ἄριστον ὂν
ὠνόμασεν ὀρθῶς, δεύτερον δ' εἶναι καλόν,
τρίτον δὲ πλουτεῖν, τοῦθ', ὁρᾷς, ἐμαίνετο·
μετὰ τὴν ὑγίειαν γὰρ τὸ πλουτεῖν διαφέρει·
καλὸς δὲ πεινῶν ἐστιν αἰσχρὸν θηρίον.

Ordinem ab Anaxandride desideratum invenimus apud Philemonem fr. 163 (K II 525):

αἰτῶ δ' ὑγίειαν πρῶτον, εἶτ' εὐπραξίαν,
τρίτον δὲ χαίρειν, εἶτ' ὀφείλειν μηδενί.

Εὐπραξία idem ac *πλοῦτος* est, *χαίρειν* idem atque *ἡβᾶν μετὰ τῶν φίλων*, pulchritudo omittitur, lepide additur *εἶτ' ὀφείλειν μηδενί*, quamquam *εὐπραξία* id iam comprehendit.

Atque eundem Philemonem etiam fr. 71, 9 idem scolium in animo habere luce clarius est (K II 496):

γάμους, ἑορτάς, συγγενεῖς, παῖδας, φίλους,
πλοῦτον, ὑγίειαν, σῖτον, οἶνον, ἡδονήν;

rursus pulchritudo omittitur; *σῖτος, οἶνος, ἡδονή* nec non *γάμοι, ἑορταί, συγγενεῖς, παῖδες, φίλοι* ad *τὸ ἡβᾶν μετὰ τῶν φίλων* spectant. Similiter Isocrates Panath. (or. XII Blass): *ἐγὼ γὰρ μετεσχηκὼς τῶν μεγίστων ἀγαθῶν, ὧν ἅπαντες ἂν εὔξαιντο μεταλαβεῖν πρῶτον μὲν τῆς περὶ τὸ σῶμα καὶ τὴν ψυχὴν ὑγιείας . . . ἔπειτα τῆς περὶ τὸν βίον εὐπορίας, ὥστε μηδενὸς πώποτ' ἀπορῆσαι τῶν μετρίων*, qui pluto *τὴν περὶ τὸν βίον εὐπορίαν* substituit, ut Philemo *τὴν εὐπραξίαν*. Denique Posidonius (Diels Doxogr. 593, 9) *ἔλεγε τὸ μέγιστον ἐν ἀν-*

[1]) Cf. Plat. Gorg. 452 B: *τὸ δ' ἔργον μού ἐστιν* (loquitur *παιδοτρίβης*) *καλούς τε καὶ ἰσχυροὺς ποιεῖν τοὺς ἀνθρώπους τὰ σώματα.*

θρώποις ἀγαθὸν εἶναι πλοῦτον καὶ ὑγίειαν. Ac Simonides, quod alii de abundantia, etiam de sapientia dicit frg. 70 (Bergk III⁴ 419): οὐδὲ καλᾶς σοφίας ἐστὶν χάρις, εἰ μή τις ἔχει σεμνὰν ὑγίειαν. Atque ut Boeoti πλουθυγίειαν ad domum intrandam invitant, ita in Sicilia Dianae bubulci stipem emendicantes largitoribus sanitatem adportant Bergk III⁴ 672 fr. 42 = Wendel, schol. Theocr. p. 3:

Δέξαι τὰν ἀγαθὰν τύχαν,
δέξαι τὰν ὑγίειαν,
ἂν φέρομες παρὰ τᾶς θεοῦ,
ἂν †ἐκλελάσκετο† τῆνα.[1]

Atque Sanitas ut notione et condicione Pluti similis est, ita honorum cursu longe eum superavit. Nam species eius tamquam personae non nebulosa aut fluida ut ille, sed circumscripta et consolidata est, et multo saepius illo cultus particeps facta est, ita ut et ab artificibus fingeretur et a poetis celebraretur. Nam non solum nomen eius ut epiclesis Minervae Atticae inditum, cui Ἀθηνᾷ Ὑγιείᾳ et Acharnis[2]) ara et in arce statua, Pyrrhi opus, consecrata est[3]) et Panathenaeis sacra fiebant,[4]) sed et ipsa in arce habitabat,[5]) Titanae, Epidauri, multis aliis locis una cum Aesculapio culta, una cum illo anno 420 ab Atheniensibus recepta est et inde ab anno 412 cum illo aedes sub arce conditas communes habuit.[6]) Ex hymnis Ariphronis, qui haud multo post bellum Peloponnesiacum floruit, carmen adpono (Bergk III⁴ 596):

---

[1]) Cf. Pindarum de Hierone gravi morbo laborante P. III 72 sqq.:
τῷ μὲν διδύμας χάριτας
εἰ κατέβαν ὑγίειαν ἄγων χρυσέαν κῶ-
μόν τ' ἀέθλων Πυθίων αἴγλαν στεφάνοις.

[2]) Paus. I 31, 4.

[3]) IG. I 335, Plin. nat. hist. 34, 80.

[4]) IG. II 163 (c. 330 a. C.): θ]ύειν δὲ τοὺς ἱεροποιοὺς τὰς μὲν δύο | [θυσίας τήν τε τῇ] Ἀθηνᾷ τῇ Ὑγιείᾳ eqs.

[5]) Paus. I 23, 4: θεῶν ἀγάλματά ἐστιν Ὑγείας τε, ἣν Ἀσκληπιοῦ παῖδα εἶναι λέγουσι, καὶ Ἀθηνᾶς ἐπίκλησιν καὶ ταύτης Ὑγείας.

[6]) Koepp, Athen. Mitt. X 1885 p. 255 sqq.; Wilamowitz, Isyllos v. Epidauros p. 192 sq.; Thraemer ap. Roscher I 2726 sqq.; cf. P-W. II 1657; A. Koerte, AM. XVIII 1893 p. 231 sqq., AM. XXI 1896 p. 287 sqq.; Dragumis, Ἐφημ. ἀρχ. 1901 p. 98 sqq.; Kutsch, Attische Heilgötter und Heilheroen 1913, Religionsg. Vers. u. Vorarb. XII 3.

Ὑγίεια, πρεσβίστα μακάρων, μετὰ σεῦ ναίοιμι τὸ λειπόμενον βιοτᾶς, σὺ δέ μοι πρόφρων σύνοικος εἴης·
εἰ γάρ τις ἢ πλούτου χάρις ἢ τεκέων,
ἢ τᾶς ἰσοδαίμονος ἀνθρώποις βασιληΐδος ἀρχᾶς, ἢ πόθων,
οὓς κρυφίοις Ἀφροδίτας ἕρκεσιν θηρεύομεν,
ἢ εἴ τις ἄλλα θεόθεν ἀνθρώποισι τέρψις ἢ πόνων ἀμπνοὰ πέφανται,
μετὰ σεῖο, μάκαιρ' Ὑγίεια,
τέθαλε [πάντα] καὶ λάμπει χαρίτων ἔαρι,
σέθεν δὲ χωρὶς οὔτις εὐδαίμων (ἔφυ),[1])

cui carmen simillimum condidit Licymnius fr. 4 (Bergk III⁴ p. 599; cf. Wilamowitz, Isyllos p. 192, 1):

Λιπαρόμματε μᾶτερ, ὑψίστων θρόνων
σεμνῶν Ἀπόλλωνος βασίλεια ποθεινά,
πραΰγέλως Ὑγίεια.

Ut ad Pluti donis fruendum privatis sanitate, ita rei publicae pace opus est, itaque etiam cum Pace Plutus init societatem. Id quod iam factum videmus apud Homerum *ω* 486:

τοὶ δ' ἀλλήλους φιλεόντων
ὡς τὸ πάρος, πλοῦτος δὲ καὶ εἰρήνη ἅλις ἔστω,

cuius versus fortasse memor dicit Theognis v. 885:

εἰρήνη καὶ πλοῦτος ἔχοι πόλιν, ὄφρα μετ' ἄλλων
κωμάζοιμι.

Teleclides quoque, ubi Saturni aetatis bona enumerat, pacem et abundantiam coniungit fr. 42, 3 (K I 220): *σπονδάς, δύναμιν, κράτος, εἰρήνην, πλοῦτόν τ' εὐδαιμονίαν τε.* At Bacchylidi Pax Pluti mater est fr. 4 (p. 109 Blass-Suess): *τίκτει δέ τε θνατοῖσιν Εἰρήνα μεγάλα Πλοῦτον.*[2])

Eodem spectat cognomen *πλουτοδότειρα* in fragmento a Bergkio Pindaro tributo (III⁴ p. 718 fr. adesp. 89) *ὦ γλυκεῖ' Εἰράνα πλουτοδότειρα βροτοῖς,* pro quo Euripides Bacch. 419 *ὀλβοδότειρα,* idem fr. 453 N² *βαθύπλουτος*[3]) dixit; quod mutuatus est Aristophanes fr. 108 *Εἰρήνη βαθύπλουτε* eqs.

---

[1]) Cf. IG. III 171, Kaibel, Epigr. graec. 1027 b.

[2]) De Cephisodoti statua deque ara Pacis v. caput IV.

[3]) Cf. Aeschyl. Suppl. 554 *βαθύπλουτον χθόνα.*

Similis sententia subest vasculi nitidissimi Berolinensis [1]) picturae, ubi *Πλοῦτος* puer Victoriae in quadriga vehenti obviam currit, dum *Χρυσός* puer eam pone sequitur. Et pax et sanitas cum pluto coniunguntur in hymno Orphico in Iovem XV 10 sq.:

δίδου δ' ὑγίειαν ἀμεμφῆ
εἰρήνην τε θεὰν καὶ πλούτου δόξαν ἄμεμπτον.

Atque cum Hesiodus theog. 902 *Εἰρήνης* nomen tertiae, *Εὐνομίας* primae Horarum dederit,[2]) Pax sororem suam in societatem Pluti secum trahit, ut in precum formulis quattuor haec bona a diis petuntur, Isyllus B 12 sqq. (Wilamowitz p. 9):

καὶ ἐπεύχεσθαι πολιάταις
πᾶσιν ἀεὶ διδόμεν τέκνοις τ' ἐρατὰν ὑγίειαν
τὰν καλοκαγαθίαν τ' Ἐπιδαυροῖ ἀεὶ δρέπεν ἀνδρῶν
εὐνομίαν τε καὶ εἰράναν καὶ πλοῦτον ἀμεμφῆ,

hymn. Orph. in Cererem Eleusiniam [3]) XL 18 sqq.:

ἐλθέ, μάκαιρ', ἁγνή, καρποῖς βρίθουσα θερείοις,
εἰρήνην κατάγουσα καὶ εὐνομίαν ἐρατεινὴν
καὶ πλοῦτον πολύολβον, ὁμοῦ δ' ὑγίειαν ἄνασσαν.

Denique in carmine Samio, quod *εἰρεσιώνην* [4]) portantes pueri, dum divitum portas adeunt, cantabant,[5]) tertia Pacis et Pluti socia est *Εὐφροσύνη* (Allen, Hom. op. vol. V 214):

---

[1]) Furtwängler, Katalog der Berl. Vasensammlung nr. 2661, Stackelberg, Graeber der Hellenen t. XVII 1, Elite Céramogr. I t. 97 p. 307; cf. O. Jahn, Vasen mit Goldschmuck p. 13, nr. 23. De nominibus figuris adscriptis v. P. Kretschmer, Griech. Vaseninschr. p. 109 et CIG. (210 =) 8372.

[2]) Cf. Timothei Persarum epilogum *εἰρήναν θάλλουσαν εὐνομίαι,* ut Wilamowitzius emendavit; v. Keil, Herm. XLVIII 1913 p. 136 A 1.

[3]) Cf. O. Kern, Genethliacon Robertianum 1910 p. 89 sqq.

[4]) Schol. Arist. Equ. 729; cf. schol. Arist. Plut. 1054; Porph. de abst. II 7; quae testimonia a Theophrasto originem ducere docuit E. Pfuhl, de Atheniensium pompis sacris 1900 p. 47. 85 sqq. Mannhardt, Wald- u. Feldkulte II 214 sqq. 234 sqq.; Preller-Robert I⁴ 260—262. A. Dieterich, Kl. Schr. 1911 p. 237 sqq.; Fr. Hauser, Philol. NF. VIII 1895 p. 385 sqq.; Robert, Gött. gel. Anz. 1899 p. 529; O. Kern ap. P-W. V 2135 sqq.

[5]) Suidas s. v. *Ὅμηρος* Homero carmen tribuit, sed Euagonis (v. Jacoby ap. P-W. VI p. 819) ex libro *Ὧροι* inscripto a Duride

δῶμα προσετραπόμεσθ' ἀνδρὸς μέγα δυναμένοιο,
ὃς μέγα μὲν δύναται, μέγα δὲ βρέμει, ὄλβιος αἰεί.
αὐταὶ ἀνακλίνεσθε θύραι· Πλοῦτος γὰρ ἔσεισι
πολλός, σὺν Πλούτῳ δὲ καὶ Εὐφροσύνη τεθαλυῖα,
Εἰρήνη τ' ἀγαθή.

Paullo aliter in Phoenicis Colophonii *κορωνίσματι*[1]) res sese habet:

ὦ παῖ, θύρην ἄγκλινε — Πλοῦτος ἤκουσε —
καὶ τῇ κορώνῃ παρθένος φέρει σῦκα.

Nam hic Plutus iam domi inclusus est et audito carmine heri filiam emittit, quae *τοῖς κορωνισταῖς* ficus largiatur. Iam vides quam prave Bergkius[2]) *ἤκουσε* in *ἔκρουσε* mutaverit, tamquam Plutus foris ianuam pulsaret, h. e. non apud divitem habitaret, sed cum pueris mendicaret.

---

exscriptum esse statuit J. Schmidt, de Herodotea quae fertur vita Homeri 1875 p. 89 sqq.

[1]) Athen. VIII 359 E; O. Crusius, Herond. mim.[2] p. 83; Gerhard, Phoinix v. Kolophon p. 179 sqq.

[2]) Opusc. II 154.

II.

De Pluto Cereris filio.

Quem in fine Theogoniae Hesiodeae nunc legimus catalogum earum dearum quae mortalibus amatoribus filios divinos pepererunt, eum ipsi Hesiodo abiudicandum, ab imitatore adnexum esse Carolus Robert evicit.[1]) Primum autem in eo catalogo locum tenent Ceres, Iasion, Plutus vs. 969—974 (Rzach[3]):

Δημήτηρ μὲν Πλοῦτον ἐγείνατο, δῖα θεάων,
Ἰασίων᾽ ἥρωι μιγεῖσ᾽ ἐρατῇ φιλότητι
νειῷ ἔνι τριπόλῳ, Κρήτης ἐν πίονι δήμῳ,
ἐσθλόν, ὃς εἶσ᾽ ἐπὶ γῆν τε καὶ εὐρέα νῶτα θαλάσσης
πάντῃ· τῷ δὲ τυχόντι καὶ οὗ κ᾽ ἐς χεῖρας ἵκηται,
τὸν δ᾽ ἀφνειὸν ἔθηκε, πολὺν δέ οἱ ὤπασεν ὄλβον.

Atque huius Cereris et Iasionis amoris etiam Calypso cum Mercurio disserens mentionem facit ε 125 sqq.:

ὡς δ᾽ ὁπότ᾽ Ἰασίωνι ἐυπλόκαμος Δημήτηρ
ᾧ θυμῷ εἴξασα μίγη φιλότητι καὶ εὐνῇ
νειῷ ἔνι τριπόλῳ· οὐδὲ δὴν ἦεν ἄπυστος
Ζεύς, ὅς μιν κατέπεφνε βαλὼν ἀργῆτι κεραυνῷ.[2])

Quos versus imprimis vs. 126 et 127 qui cum versibus Pseudohesiodeis praecipue 970 et 971 comparaverit, nullus dubitabit, quin imitator ille Hesiodi Odysseae locum ante oculos habuerit; at tacet de Iasionis morte, quam enarrare non magis eius intererat quam postea v. 1009 Anchisis similem sortem. Contra Calypso

[1]) Mélanges Nicole 1905 p. 461 sqq.

[2]) Haec Iasionis mors in crateris Attici fragmento a G. Kieseritzky in Strena Helbigiana p. 161 edito depicta est, ubi Iasion audit Iassus.

nec de loco concubitus nec de filio Cereris Iasionisque quicquam dicit. Nihilominus Mannhardtius (Mythol. Forsch. p. 238) etiam Homerum utrumque nosse contendit; quod ut de loco propter Iasionem[1]) concedo, ita de filio valde dubito. Certe nihil demonstravit Mannhardtius, sed meram coniecturam protulit. Cui id potissimum obstare mihi videtur, quod conubia ceterarum dearum, quisbuscum in Odyssea Ceres comparatur, Auroram dico et ipsam Calypso, sterilia manent.[2]) Tum recte Crusius[3]) iudicavit nuptias Iasionis et Cereris nil aliud significare, quam ritum, quo arva fertilia reddantur, fere apud omnes homines rusticos obvium, de quo egregie egit Mannhardtius;[4]) sed huic fertilitati personam quandam substitui insolitum est. Neque vero Iovis et Iunonis *ἱερὸς γάμος* filium procreat. Itaque hanc genealogiam non ex religione populari natam, sed a poeta antiquo inventam esse arbitror. Atque tales genealogias fingendi quam studiosi non ipse solum Hesiodus, sed etiam imitatores eius fuerint, nemo est qui nesciat. Ita verisimillimum mihi videtur auctorem versus 972 primum Cereri et Iasioni Plutum dedisse filium.

Sed utut haec res se habet, sensus genealogiae in propatulo est: scilicet ex agricultura nasci divitias, id quod Phocylides ita exprimit frg. 7 (Bergk II⁴ 70):

Χρηΐζων πλούτου μελέτην ἔχε πίονος ἀγροῦ·
ἀγρὸν γάρ τε λέγουσιν Ἀμαλθείης κέρας εἶναι.

[1]) De hoc vide Robert, Die Nekyia des Polygnot p. 81, XVI Hall. Winckelmannsprogramm 1892.

[2]) Odysseae versus Theocritus quoque in como III 50 sq. ante oculos habet:

ζαλῶ δέ, φίλα γύναι, Ἰασίωνα,
ὃς τόσσων ἐκύρησεν, ὅσ' οὐ πευσεῖσθε βέβαλοι.

Ex ultimis verbis praepropere concluserunt, hunc amorem in mysteriis quoque locum habuisse, cum luce clarius sit, poetam mystica formula iocose et lepide uti. Atque cum paullo antea Adonidis mentio fiat, probabile est, Dionem Prusaensem hos versus in animo habuisse, cum scriberet XXIX 18 (Arnim II 290): *περὶ δὲ Ἀδώνιδος ἢ Ἰασίωνος ἢ τῶν ὁμοίων, ὅσοι περιττῆς δόξης ἐπὶ τῷ εἴδει ἔτυχον, οὐδὲν ὅτι μὴ περὶ τοῦ κάλλους ἀκούομεν.*

[3]) Beitr. z. griech. Mythol. 1886 p. 19.

[4]) Baumkultus der Germanen 1875 p. 480 sqq.

Idem versus a Cornuto c. 28 (p. 55 Lang) et in scholiis Hesiodi theog. 971[1]) servatus exprimit *σίτου καὶ κριθῆς, ὦ νήπιε, πλοῦτος ἄριστος*. Atque a versu Hesiodeo pendet scolium saeculo quinto ineunte compositum[2]) Athen. XV 694 C (Bergk III⁴ 644 nr. 3):

Πλούτου μητέρ' Ὀλυμπίαν ἀείδω
Δήμητρα στεφανηφόροις ἐν ὥραις
σέ τε, παῖ Διός, Φερσεφόνη,
χαίρετον, εὖ δὲ τάνδ' ἀμφέπετον πόλιν,

item Diodorus V, 77, 1: *Πλοῦτον δὲ γενέσθαι φασὶν ἐν Τριπόλῳ τῆς Κρήτης ἐκ Δήμητρος καὶ Ἰασίωνος, . . . ἔνιοι δὲ μυθολογοῦσιν ἐκ Δήμητρος καὶ Ἰασίωνος γενέσθαι παῖδα Πλοῦτον ὀνομαζόμενον, ὃν πρῶτον ἐπιμέλειαν βίου καὶ χρημάτων ἀθροισμὸν καὶ φυλακὴν εἰσηγήσασθαι, τῶν πρὸ τοῦ πάντων ὀλιγώρως ἐχόντων περὶ τὸ σωρεύειν καὶ τηρεῖν ἐπιμελῶς χρημάτων πλῆθος.* Cornutus quoque eo utitur l. c. *περὶ γὰρ ἔαρ τῇ Χλόῃ Δήμητρι θύουσι μετὰ παιδιᾶς καὶ χαρᾶς ἰδόντες χλοάζοντα ⟨πάντα⟩ καὶ ἀφθονίας αὐτοῖς ἐλπίδα ὑποδεικνύντα. ἐντεῦθεν δὲ καὶ ὁ Πλοῦτος τῆς Δήμητρος υἱὸς ἔδοξεν εἶναι.*

Contra prorsus neglexit hos versus Hellanicus, cum in Troicis et in Atlantiade de Iasione ageret, quem Iovis et Electrae filium fuisse contendit[3]) schol. Od. ε 125 (FHG I 53 fr. 58): *ἦν δὲ Κρὴς ὁ Ἰασίων. Ἑλλάνικος δὲ Ἠλέκτρας καὶ Διὸς αὐτὸν γενεαλογεῖ.* Tum Eustathius p. 1528, 5 apud Hellanicum Iasiona agricolam fuisse contendit: *τὸν Ἰασίωνα γεωργὸν ἡ κατὰ τὸν Ἑλλάνικον ἱστορία ἔχει, Κρῆτα τὸ γένος, Διὸς υἱὸν καὶ Ἠλέκτρας.* At in Odysseae scholiorum codicibus haec leguntur: *ὡς δὲ Ἑλλάνικος Ἠλέκτρας καὶ Διὸς υἱός· παρ' ᾧ μόνῳ*

[1]) Gaisford, poet. min. II 541 = Flach, Glossen u. Scholien zu Hesiods Theog. p. 289, ubi ita detruncatus est: *πυρῶν καὶ κριθῶν, ὦ νήπιε πλοῦτε.* Sed *πυρῶν καὶ κριθῶν* fortasse praestat; v. etiam Hesychius s. v. *εὔπλουτον κανοῦν· . . . π λ ο ῦ τ ο ν γὰρ ἔλεγον τὴν ἐκ τῶν κριθῶν καὶ τῶν πυρῶν περιουσίαν,* cf. Etym. M. p. 677, 12.

[2]) Cf. Wilamowitz, Textgesch. d. griech. Lyriker p. 37 et Aristot. u. Athen II p. 317; Reitzenstein, Epigramm u. Skolion 1893 p. 13 sqq.

[3]) Alii Catrei et Phroniae (schol. ε 125) aut Minois et Phroniae (schol. Theocr. III 49—51 d [rec. Wendel p. 133, 11] *Ἰασίων ὁ Κρής . . . υἱὸς ἦν Μίνωος καὶ Φρονίας νύμφης* eqs.) filium dixerunt.

μετὰ τὸν κατακλυσμὸν εὑρέθη σπέρματα HPQ, vel post verba supra exscripta *Ἑλλάνικος δὲ Ἠλέκτρας κτλ: ἔνιοι δέ φασιν αὐτὸν γεωργικώτατον ὄντα δόξαν ἔχειν ὅτι τῇ Δήμητρι συνῴκει. τινὲς δέ φασι μετὰ τὸν ἐπικλυσμὸν παρὰ μόνῳ Ἰασίωνι σπέρμα πυρῶν εὑρεθῆναι ἐν Κρήτῃ, ὅθεν διαδοθῆναι φήμην ὅτι ἡ Δημήτηρ αὐτῷ συνῴκει καὶ ἐγέννησε Πλοῦτον* HPQV, unde adparet parentum tantum nomina esse Hellanicea, Eustathio vero totum scholium falso Hellanico tribuisse. Atque duas huius explicationis formas distinguere debemus. Alii enim Iasionem agricolam industrium et indefessum fuisse dixerunt, unde famam ortam esse, eum cum Cerere concubuisse (*ἔνιοι δέ φασιν ... ὅτι Δήμητρι συνῴκει*), id quod ab Hellanico quam maxime alienum erat. Eadem uberius leguntur in codice E: *ὁ Ἰασίων γεωργὸς ἦν καὶ ἐδίδου αὐτῷ ἡ γῆ καρπὸν περιττὸν εἰσαεὶ ἐμφοροῦσα, καὶ ἦν πλούσιος. ἔλεγον οὖν αὐτὸν συνευνάζεσθαι τῇ γῇ, καὶ διὰ τοῦτο διδόναι αὐτῷ τὴν εὐφορίαν* et apud Diodorum V, 77: *οἱ μὲν γάρ φασι τὴν γῆν σπαρεῖσαν ὑπὸ Ἰασίωνος καὶ τυγχάνουσαν ἐπιμελείας τῆς προσηκούσης ἀνεῖναι τοσοῦτο πλῆθος καρπῶν, ὥστε τοὺς ἰδόντας ἴδιον ὄνομα θέσθαι τῷ πλήθει τῶν γενομένων καρπῶν καὶ προσαγορεῦσαι πλοῦτον· διὸ καὶ τοῖς ἐπιγινομένοις παραδόσιμον γενέσθαι τὸ τοὺς πλείω τῶν ἱκανῶν κτησαμένους ἔχειν πλοῦτον*, cuius peculiare est, quod dum etiam versus Theogoniae rationem habet, novam et absurdam *πλοῦτος* nominis explicationem adfert. Alii dixerunt unum Iasionem post undas Deucalioneas semina tritici servasse ideoque pro Cereris amatore Plutique patre habitum esse (*ἔνιοι δὲ μυθολογοῦσιν ἐκ Δήμητρος καὶ Ἰασίωνος γενέσθαι παῖδα Πλοῦτον*). Ne haec quoque Hellanico tribuenda sunt, qui nullo modo Iasionem Deucalionis aequalem dixisse potuerit. Nihil igitur ex Odysseae scholiis et Eustathio lucramur, nisi apud Hellanicum Iasionem Iovis et Electrae filium fuisse. Sed etiam in scholiis Apollonii de eadem re uberius agitur I 916 (FHG I 63 fr. 129) bis laudato Hellanico: *τὴν Σαμοθράκην λέγει. ἐκεῖ γὰρ ᾤκει Ἠλέκτρα ἡ Ἄτλαντος, καὶ ὠνομάζετο ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων Στρατηγίς· ἥν φησιν Ἑλλάνικος Ἠλεκτρυώνην καλεῖσθαι. ἐγέννησε δὲ τρεῖς παῖδας, Δάρδανον, τὸν ἐς Τροίαν* (*ἐν τῇ Τροίᾳ* cod. Paris.) *κατοικήσαντα, ὃν καὶ Πολυάρχην φασὶ λέγεσθαι ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων, καὶ Ἠετίωνα, ὃν Ἰασίωνα* (Par. *Ἠσίωνα*)

ὀνομάζουσι, καί φασι κεραυνωθῆναι αὐτὸν ὑβρίζοντα ἄγαλμα τῆς Δήμητρος· τρίτην δὲ ἔσχεν Ἁρμονίαν, ἣν ἠγάγετο Κάδμος, καὶ ἀπὸ τῆς μητρὸς αὐτῆς Ἠλεκτρίδας πύλας τῆς Θήβης ὀνομάσαι ἱστορεῖ Ἑλλάνικος ἐν πρώτῳ Τρωικῶν. Quaeritur autem, quae ex his ad Hellanicum referenda sint; neque enim post ea, quae de scholiis Homericis Eduardus Schwartz [1]) egregie disputavit, quisquam Wellmanno [2]) concedat, totum scholium ex Hellanico fluxisse. Atque quae de duplici Electrae nomine proferuntur, Hellanicea non esse ipsa scholiastae verba docent. Itaque de Dardani et Iasionis duplici nomine idem valet, praesertim cum *φασί* inseratur. Unde adparet etiam verba *καί φασι κεραυνωθῆναι αὐτὸν ὑβρίζοντα ἄγαλμα τῆς Δήμητρος* ab Hellanico aliena esse, praesertim cum hic quoque fabula rationis via explicetur. Nihil igitur Hellanico relinquitur, nisi Dardani, Iasionis, Harmoniae matrem fuisse Electram et Thebarum portas Electridas ab ea nomen duxisse. Quae re vera Hellanicus de Iasione et Cerere dixerit, ex Apollodoro discimus, quem in libri tertii initio componendo logographo illo usum iam pridem Wellmann (l. c.) et nuper de Blumenthal [3]) docuerunt. Haec autem scribit bibliothecae auctor III 21, 1: *Ἠλέκτρας δὲ τῆς Ἄτλαντος καὶ Διὸς Ἰασίων καὶ Δάρδανος ἐγένετο. Ἰασίων μὲν οὖν ἐρασθεὶς Δήμητρος καὶ θέλων καταισχῦναι τὴν θεὸν κεραυνοῦται.* In eo autem ab Odyssea dissentit Hellanicus, quod Ceres Iasionis amplexus fugit, ille ei stuprum inferre studens a Iove fulmine occisus est. Atque genealogiam Hellaniceam Hermippus quoque recepit ab Hygino laudatus astr. II 4: *Hermippus, qui de sideribus scripsit, ait Cererem cum Iasione Electrae* [4]) *filio concubuisse, quamobrem fulmine percussum conplures cum Homero dixerunt.* Ultima verba, quibus Homeri narrationis ratio habetur, utrum ad Hermippum referenda an ipsius Hygini sint, dubitari potest. Sed cum is Petellidis historiam,

---

[1]) De scholiis Homericis ad histor. fabul. pertinentibus, Fleckeisens Jahrb. 1881, Suppl. XII p. 405 sqq.

[2]) De Hellanici Troicis, Comment. philolog. Gryphisw. 1887 p. 59 sq.

[3]) Hellanicea, Diss. Hal. 1913.

[4]) Ita cum Micyllo scribere non dubitavi; *Letis, Loetis, Laetis,* Cod., *Ilithii filius* Frisingensis fab. 270; *Thusci* Venetae absurdum; nec melius Munckeri *Iovis.*

quae proxime sequitur, ut mox videbimus, et ipsam ex Hermippo hauserit, omnia Hermippea esse statuendum est. Contaminavit igitur Hermippus Odysseae narrationem cum genealogia Hellanici; nam apud illum, ut ex Apollodoro discimus, Ceres neque cum Iasione concubuit nec filium peperit.

Sequitur apud Hyginum Petellidis Gnosii lepida narratio haec: *ex his, ut Petellides Gnosius historiarum scriptor demonstrat, nascuntur filii duo, Philomelus et Plutus; quos negant inter se conuenisse. nam Plutum, qui ditior fuerit, nihil fratri suo de bonis concessisse; Philomelum autem necessario adductum, quodcumque habuerit, ex eo boues duos emisse, et ipsum primum plaustrum fabricatum esse. itaque arando et colendo agros ex eo se aluisse; cuius matrem inuenta miratam, ut arantem eum inter sidera constituisse et Booten appellasse. ex hoc autem Parium*[1]) *demonstrant natum, qui de suo nomine Parios et oppidum Parion appellavit.* Haec quoque omnia ex Hermippi de sideribus libro fluxisse supra dixi. Nam Hyginus haec omnia in capite de Arctophylace adfert, quem nonnulli pro Iasionis et Cereris filio Polymelo habuerunt. At Polymelus in ea tantum historiae parte, quae sub Petellidis nomine narratur, commemoratur. Itaque fieri non potest, quin Hermippus Petellidem, Hyginus Hermippum exscripserit.[2]) Petellides igitur, scriptor aetatis ignotae, sed certe quarto saeculo non posterior, duos Cereri filios dedit, Plutum ditem et avarum, Philomelum pauperem et industrium. Habes fabellam multis populis notam de duobus fratribus indole

[1]) *Parium* et *Parion* scripsi coll. Steph. Byz. v. Πάριον, Arrian. ap. Eustath. ad Hom. 1528, 16, Dionys. Perieg. 517, *Pareanta* et *Paron* Cod., haec corruptela ex dittographia verborum sequentium *demonstrant natum* orta est. Legit has corruptelas iam Isidorus Etym. XIV 6, 29: *historia dicit ex Iasione natum fuisse Philomelum et Plutum, ex Philomelo Pareantem genitum, qui de suo nomine Paron insulam et oppidum appellavit*, deinde Bocatius de geneal. deorum p. 399 xxx (ed. Micyll.), qui non solum Isidoro, ut ipse ait, sed etiam Hygino usus esse videtur; nam cum Isidorus Parii patrem recte Philomelum nominet, Bocatius Pluti filium esse dicit, quod non fecisset, nisi et ipse Hyginum adhibuisset; hinc longa errorum series nata v. Hiller v. Gaertringen, Thera I 378, Rubensohn, Ath. Mitt. XXV 395, Höfer ap. Roscher III 1570.

[2]) Cf. Robert, Eratosthenis catast. rel. p. 222 adn. 1.

imparibus, velut apud Grimmios ,*Der grofse und der kleine Klaus.*' Valde dolendum est, non ipsum Petellidem nos tenere, sed vel ex Hermippi epitoma cognosci potest, in Plutum omnia ea mala congesta fuisse, quae poetae scriptoresque, quos in primo capite attulimus, de eo dixerunt. Et cum frater eius arando et colendo agros se aluerit, idem in Plutum cadere non potest. Immo eius divitiae auro argentoque constare debebant, id quod etiam e verbis *nihil fratri suo de bonis concessisse* concludi potest. Contra Polymelum non solum agri culturae sed etiam pecuariae operam dedisse, ipsum nomen docet,[1]) ita ut cum Hesiodo comparari possit ut Plutus cum Perse.

Denique monendum est, Parium, quem Hermippus Philomeli filium, Iasionis nepotem facit, apud ceteros testes ipsius Iasionis filium esse, Arrian. ap. Eustath. ad Hom. 1528, 16 et Dionys. Perieg. 517, Steph. Byz. s. v. *Πάριον*.

---

[1]) Mire Eisele in Roscheri Lexico III p. 2582 Philomelum pauperem cantus amicum vocat, sive *Πολύμελον* transcribere vult, sive lusciniae meminit.

III.

De Pluto Eleusinio.

In hymni Homerici in Cererem, quem septimo saeculo exeunte Eleusine conditum esse Wilamowitzius evicit,[1]) epilogo haec de Cerere et Proserpina leguntur v. 483 sqq. (Allen):

Αὐτὰρ ἐπεὶ δὴ πάνθ' ὑπεθήκατο δῖα θεάων,
βάν ῥ' ἴμεν Οὔλυμπόνδε θεῶν μεθ' ὁμήγυριν ἄλλων.
ἔνθα δὲ ναιετάουσι παραὶ Διὶ τερπικεραύνῳ
σεμναί τ' αἰδοῖαί τε· μέγ' ὄλβιος, ὅν τιν' ἐκεῖναι
προφρονέως φίλωνται ἐπιχθονίων ἀνθρώπων·
αἶψα δέ οἱ πέμπουσιν ἐφέστιον ἐς μέγα δῶμα
Πλοῦτον, ὃς ἀνθρώποις ἄφενος θνητοῖσι δίδωσιν.

Itaque hic Plutus non filius Cereris, sed minister est, quem eis inter mortales, quibus ipsa et filia propitiae sunt, domum mittit. Haec cum eis, quae in primo capite de Pluto populari cognovimus, optime congruunt. Memineris Boeotorum, qui Plutum domum suam invitant, carminis Samiorum, ubi Plutus in divitum aedes intrare dicitur, carminis Siculi, ubi Diana, si non ipsum Plutum, at sociam eius Sanitatem per bubulcos in piorum aedes mittit, ut de Pluto Aristophaneo taceam. Eo autem iste hymni Plutus a Theogoniae Pluto differt, quod hic a deabus hominibus domum mittitur ille per mundum vagatus fortunatis se obvium dat, quamquam hymni versus 489 *Πλοῦτον, ὃς ἀνθρώποις ἄφενος θνητοῖσι δίδωσιν* fere idem dicit ac Theogoniae versus 974 *τὸν δ' ἀφνειὸν ἔθηκε, πολὺν δέ οἱ ὤπασεν ὄλβον.*

Ita factum est, ut Plutus inter deos Eleusinios reciperetur. Cuius rei luculenta testimonia duo sunt vasa quarto saeculo

[1]) Philol. Unters. I 125, VII 208 sq. Qui contra dixit, J. Beloch, Griech. Gesch.[2] I 1 (1912) p. 207, 3 argumentum protulit nullum.

depicta. Unum Panticapaei repertum[1]) in medio Cererem sedentem sceptro et corona instructam exhibet. Adstat ei puerulus magnam cornucopiam vacuam sinistra tenens. Praeterea propter hunc puerum invenimus Proserpinam una, Iacchum duabus facibus insignem, supra Cererem Triptolemum in curru alato sedentem. Itaque scaenam Eleusina esse in propatulo est. Puerum Plutum esse cornucopia, abundantiae signum, arguit. Sed vacuam esse hanc cornucopiam fortasse mireris. Nempe Triptolemus iamiam profecturus est, ut agriculturam homines doceat. Ad recipiendas fruges, quas illi percepturi sunt, Plutus cornucopiam paratam tenet.

Alterum vas hydria Attica est Rhodi eruta.[2]) In media imagine Tellus e solo emergit manibus cornucopiam sustinens, in cuius margine puer seminudus sedet, ad Pluti Cephisodotei, de quo in capite proximo agemus, exemplum depictus. Nam ut ille Paci, ita hic Cereri prope stanti manus protendit, quae ipsa Paci Cephisodoteae similis Plutum contemplatur. Nec minus Proserpina, quae a tergo Telluris stat, ad hunc puerum respicit. Post Cererem Iacchus,[3]) post Proserpinam mulier velata conspicitur sive Hecate sive Eleusis.[4]) Hanc vero scaenam Salomo Reinach ita interpretatus est, ut Plutum ex Tellure nasci, a Cerere ad educandum recipi statueret, idque plerisque persuasit. Id quod fieri posse nequaquam negaverim. Nam Plutum non minus Telluris filium esse posse quam Cereris omni dubitatione exemptum est, praesertim cum *Δημήτηρ* ipsa nil aliud sit quam *Γῆ*.[5])

---

[1]) Stephani, Compte-Rendu de la commission imp. archéol. 1859 p. 73—119 tab. II; Ed. Gerhard, Akad. Abhdlgn. II p. 575 t. LXXVII; Overbeck, Kunstmyth. III p. 669 sqq. t. XVIII, 18; Sboronos *Ἑρμηνεία τοῦ ἐξ Ἐλευσῖνος μυστηριακοῦ πίνακος* Journ. int. arch. num. IV 1901 p. 285 sqq. t. *ΙΔ*; Furtwängler-Reichhold II p. 54 sqq. t. LXXI 2.

[2]) Salomo Reinach, Rev. arch. XXXVI 1900 p. 93; Sboronos l. c. p. 286 sqq.; Deubner ap. Rosch. III 2085, 86; Furtw.-Reichh. II p. 59 fig. 25.

[3]) Cf. Pringsheim, Beitr z. Gesch. des Eleusin. Kultes p. 78. Diss. Bonn 1905.

[4]) Cf. Hieronis cratera, Mon. d. Inst. IX 43; Wiener Vorlegebl. A 7; Klein, Griech. Vasen mit Meistersignaturen 1887 p. 171 nr. 18.

[5]) Wilamowitz, Griech. Trag. II p. 212 sqq.; A. Dieterich, Mutter Erde (1905) p. 55; Stengel, Herm. XLI 1906 p. 237.

Atque Ceres eodem iure nutrix quam mater Pluti haberi potest, quippe quae et aliis multis locis et Athenis *Κουροτρόφος* audiat.[1]) Nihilominus, quamquam Sboroni explicationem me reicere vix adfirmare opus est, S. Reinachi interpretatio multam dubitationem habere mihi videtur. Nam nullo modo in pictura expressum est, Plutum a Tellure gigni aut a Cerere recipi. Ad exemplum eorum vasorum, quae Tellurem Erichthonium Minervae tradentem ostendunt, totam imaginem compositam esse ab omnibus concessum est; at Ceres a Minerva illa eo differt, quod nullo modo ad puerum bracchiis recipiendum se comparat. Movet fortasse digitos manus sinistrae, sed ita ut pueri ne manum quidem comprehensura esse videatur. Quid igitur rei est? Ante omnia monendum est, Plutum cornucopiae eum locum tenere, ubi alibi omnia fructuum genera conspicere consuemus;[2]) memineris Telluris in ara Pergamenia emergentis cornucopiae. Itaque horum fructuum vice Plutus fungitur, hoc est, cum in altero vase is sit, qui abundantiam aut det aut recipiat, in hoc nil aliud est, quam abundantia ipsa; et cum illic Triptolemo non iam profecto vacuam cornucopiam teneat, hic ipse cornucopiam implet. Cur? In superiore vasis parte iterum Triptolemus conspicitur, nec tamen profecturus, sed rediens, magnam spicam dextera sursum tenens, tamquam eam ostendat, a duabus puellis fortasse nymphis[3]) et a iuvene, fortasse Mercurio, salutatus. Ipse vero oculos in Plutum intendit. Itaque res ita sese habet. Eodem temporis momento, quo Triptolemus ab expeditione sua Eleusina revertitur, Tellus cum cornucopia plena, id est Plutum portante, e solo se tollit. Idem igitur significat Triptolemus cum spica matura reversus et Tellus Cereri cornucopiam Pluti plenam ostendens. Quod si quis metaphorice ita exprimere velit, ut Plutum a Tellure procreatum esse

---

[1]) Preller-Robert I⁴ 200, 2. 203, 1. 752, 3. 764 sq. 770; Kern ap. P-W IV 2713.

[2]) Prorsus eodem modo Plutus puer in Nysae ad Maeandrum nummis aetate imperatoria exprimitur v. K. Regling, Arch. Jahrb. 1913 Ergänzungsh. X p. 78 sqq. nr. 47. 102 (tab. XIII). 120. 150.

[3]) Cum ea, quae post Triptolemi tergum sedet, comparare iuvat Aglauram crateris Petropolitani C R 1872 tab. I.

dicat, non habeam quod contra dicam, dummodo ne putet aut in religione Eleusinia Plutum Telluris filium esse aut in ritu ortum eius partes aliquas habuisse.

Etiam in conclamato illo anaglypho a Lacratide sacerdote Eleusine dedicato [1]) Heberdey, cui Pringsheim adstipulari videtur, Plutum agnoscere sibi visus est; hoc nomen dat puero tunica manicata et cincta et palliolo vestito, qui spicam dextera tenens iuxta Cererem contra Triptolemum stat, sinistra, ut Heberdeyo visum est, spicas, ut nunc per Skiam constat, ramos myrteos tenens. Quam interpretationem stare non posse iam Skias, Philios, Sboronos viderunt; ne tum quidem stare posset, si re vera spicas teneret. Nam cornucopia Pluti signum est, non spicae; et fac spicas cornucopiae substitutas esse, tum hic puer, si vere Plutus est, non manipulum, sed acervum spicarum tenere debet. Denique minime decet Plutum talis vestitus amplitudo. Immo recte mihi Sboronos hunc puerum pro Lacratidis filio minore, Dionysio, habere, recte, quamquam obloquentibus plerisque viris doctis, statuisse videtur, familiam Lacratidis, pro cuius salute anaglyphum dedicatum est, in anaglypho deesse nullo modo posse. Quamquam in eo erravit, quod iuvenem facem et vitem tenentem, qui dextrum angulum occupat, pro filio maiore, Sostrato, habebat et inter hanc figuram et Deum sedentem mulierem interserere volebat. Immo uxor cum duobus filiis prope Cererem collocata esse videtur [2]) et iuvenem illum Iacchum esse certissimum est. Ceteri dei a sinistra ad dexteram ita se excipiunt:

---

[1]) Philios *Ἐφ. ἀρχ.* 1886 p. 19; 257 t. III 2, III 1; O. Kern, AM XVI 1891 p. 4, 1 cf. Philios l. c. 261, 5; Heberdey et Reichel, Festschr. f. O. Benndorf 1898 p. 111 sqq. t. IV; Phot. Inst. Eleus. 66; Furtwängler, Masterpieces 332; O. Rubensohn, AM XXIV 1899 p. 58; Sboronos, Journ. intern. IV 1901 p. 169—191 et 487 sqq., Suppl. IV 1903 p. 365 sq., rec. Sauer, Berl. phil. Woch. 1903 p. 1421 sqq.; Skias *Ἐφ. ἀρχ.* 1901 p. 34 cf. AJA VI 1902 p. 207; Pringsheim l. c. p. 79 sqq.; Philios, AM XXX 1905 p. 183 sqq. *τὸ ἐν Ἐλευσῖνι Λακρατείδειον ἀναγλύφον*, cf. AJA VIII 1904 p. 190.

[2]) Fuerunt, qui in titulo dedicatorio filiae nomen supplerent v. e. *Κλεοῦς τῆς ἑαυτῶν θυ]γατρός;* contra quos Philios recte statuit *θυγατρός* ad uxorem referendum esse. Nam cum *τῶν ὑῶν* et *τῆς γυναικός* vocabulis nomina antecedant, cogitari non potest, *τῆς θυγατρός* post nomen collocatum fuisse.

Ceres, Proserpina, Pluton, qui in titulo dedicatorio Eubuleus vocatur, Dea, Deus.

Eleusine igitur Plutus daemon est ubertatis, sive ipse ubertatem repraesentat, sive ubertatem donat aut recipit. Simili munere functus esse videtur in Thesmophoriis Atticis, ubi Aristophane teste una cum *Καλλιγενείᾳ* dea invocabatur; hanc enim precationem solemnem comicus ille tradit Thesm. v. 295 sqq.: *εὔχεσθε τοῖν Θεσμοφόροιν τῇ Δήμητρι καὶ τῇ Κόρῃ καὶ τῷ Πλούτῳ καὶ τῇ Καλλιγενείᾳ καὶ τῇ Κουροτρόφῳ* [*τῇ Γῇ*] *καὶ τῷ Ἑρμῇ καὶ Χάρισιν.* Ceteros quoque deos maximam partem eosdem esse, qui inter alios in titulo Eleusinio, de quo mox agemus, enumerantur, recte statuit de Prott, Athen. Mitt. XXIV 1899 p. 254, nisi quod in eo errat, quod *Καλλιγένειαν* Dianae Eleusiniae, *Κουροτρόφον* Telluri aequiperat; immo *Κουροτρόφος* aperte Diana Hecate est,[1]) *Καλλιγένειαν* vero Cereris cognomen, tum nutricem vel sacerdotem vel ministram esse testatur Hesychius,[2]) cui Eleusine nihil invenimus quod comparari possit.

Atque ut cum Cerere ita etiam cum Iaccho Plutus societatem quandam iniisse videtur, siquidem ille festo quodam die *πλουτοδότης* cognomine invocari solebat. Factum id esse Lenaeis a daducho tradit schol. Arist. Ran. 479: *ἐν τοῖς Ληναϊκοῖς ἀγῶσι τοῦ Διονύσου ὁ δᾳδοῦχος κατέχων λαμπάδα, λέγει, „καλεῖτε θεόν“· καὶ οἱ ὑπακούοντες βοῶσι, „Σεμελήϊ' Ἴακχε πλουτοδότα“.*[3]) Atqui primum cum daduchi in Eleusiniis magnae partes sint, de Lenaeorum autem daducho aliunde non constet, dein cum in Eleusiniis ex Iacchi aedibus urbanis simulacrum Eleusina transferri solitum sit, qua occasione ante porticum pictam non solum hierophantes sed etiam daduchus populum adloquebatur, denique cum hanc ipsam adlocutionem Aristophanes in parabasi vs. 352—371 imitatus sit, suspicio oritur etiam iocum illum, ad quem scholium supra adscriptum est, ad Eleusinia spectare scholiastamque has ferias Lenaeis con-

---

[1]) Cf. Robert, de Gratiis Atticis, in Commentat. Mommsen. p. 147.

[2]) s. v. *Καλλιγένειαν· οὐ τὴν γῆν, ἀλλὰ τὴν Δήμητραν. οὐδεὶς γὰρ οὕτως ἔφη τὴν γῆν καλλιγένειαν· οἱ μὲν τροφὸν αὐτῆς, οἱ δὲ ἱέρειαν, οἱ δὲ ἀκόλουθον;* cf. Preller-Robert I⁴ 780 adn. 1.

[3]) Cf. Wilamowitz, Herakl. I 56 adn. 15.

fundere.[1]) Atque profecto quid daduchus pompam ante Iacchi aedes exitum simulacri exspectantem aptius precari iubere poterat quam: *καλεῖτε θεόν,* aptius quid illa respondere quam: *Σεμελήϊ' Ἴακχε πλουτοδότα?* Itaque non dubitabimus iuvenem in vasis, quod quondam in collectione Pourtalès erat,[2]) parte posteriore iuxta Bacchum sedentem pro Pluto Eleusinio habere, praesertim cum in anteriore eius parte Herculis et Castorum initiatio depicta sit, quae Eleusine[3]) locum habet. Signum eius hic quoque cornucopia vacua est; sed primum hic specie iuvenili effictum invenimus.

Iam *πλουτοδότης* nominis, quam *ἐπίκλησιν* etiam Paci tributam fuisse in capite primo vidimus, deminutivum est *Πλούτων.*[4]) In litteris primum hoc nomen occurrit in Aeschyli Prometheo v. 806, ubi Iapetides Ioni iter futurum exponens de Arimaspis ita dicit:

τὸν δὲ μουνῶπα στρατὸν
Ἀριμασπὸν ἱπποβάμον', οἳ χρυσόρρυτον
οἰκοῦσιν ἀμφὶ νᾶμα Πλούτωνος πόρου.

Non recte Prellerus Plutum hoc loco Ditem esse, nec rectius Robert ipsum Plutum significari putavit,[5]) ut fluvius ille Arimasporum Pluti fluvius esse diceretur. Immo Pluton fluvii illius nomen est, ut recte dicunt scholia vetera,[6]) cum scholia B interpretes nonnullos de Nilo

[1]) Vide Robert, Goett. gel. Anz. 1913 p. 368.

[2]) Panofka, Mus. Pourt. t. XVII; Ed. Gerhard, Ak. Abh. II p. 169. 244 t. LXXI 2; Overbeck, Kunstm. III p. 510, 18 t. XVIII.

[3]) Cf. Preller-Robert I[4] 790, 5; Dettmer, de Hercule Attico p. 65. 69, Diss. Bonn. 1869.

[4]) Cf. Maass, Herm. XXIII 618; aliud sentit Th. Birt, Arch. f. lat. Lexicogr. XI 1900, p. 165 sq.: nomina in syllabam *-ων* cadentia significant earum copiam rerum, quas verbi stirps continet; ut nomen *Μαραθών* eum quo *μαράθου* copia floret locum declarat, sic etiam *Πλούτων* locum, ubi *πλοῦτος* est. Cui opinioni id obstat, quod nomina hoc modo formata ictum semper in ultima syllaba habent. Fick-Bechtel, Griech. Personennamen[2] p. 461.

[5]) Preller, Griech. Mythol. I (ed. I 1860) p. 624, 2; Robert ed. IV p. 801 adn. 4.

[6]) *Πλούτωνος πόρου] τοῦ πλουσίου ποταμοῦ Αἰθιοπίας οὕτως λεγομένου, ἀπὸ τοῦ πολὺν εἶναι ἐκεῖ χρυσόν.*

cogitasse doceant,[1]) scholia O autem Pactolum significari putent.[2]) Atque re vera quisquis fabulosum hunc Arimasporum fluvium finxit, sive ipse Aeschylus sive iam Aristeas Proconnesius, Pactolum ante oculos habuisse videtur. Contra Pherecrates in Persis re vera de Pluti fontibus loquitur frg. 130, 3 sqq. (K I 182):

αὐτόματοι γὰρ διὰ τῶν τριόδων ποταμοὶ λιπαροῖς ἐπιπάστοις
ζωμοῦ μέλανος καὶ Ἀχιλλείοις μάζαις κοχυδοῦντες ἐπιβλὺξ
ἀπὸ τῶν πηγῶν τῶν τοῦ Πλούτου ῥεύσονται, σφῶν ἀρύτεσθαι.

Simili modo atque ab Aeschylo fluvius ille, una Oceanidum ab Hesiodo theog. 355 *Πλουτώ* vocatur, quocum nomine conferre iuvat *Δωρίς* 350, *Πολυδώρη* 354, *Χρυσηίς* 359, *Εὐδώρη* 360. Eadem Oceanis inter Proserpinae sodales est in hymno in Cer. 422. Atque eodem consilio Tantali ditissimi regis mater Pluto vocatur (Ant. Lib. 36, Paus. II 22, 3), id quod primum ab Hellanico factum esse Robert me docuit.

At etiam ipso *Πλούτῳ* Plutonis nomen tributum est; quod eo facilius fieri potuit, quo saepius, ut supra (p. 276) vidimus, Plutus non solum idem est atque abundantia, sed etiam abundantiam largitur. Itaque in Pluto Aristophanea Cario de Aesculapio verba faciens dicit v. 727:

μετὰ τοῦτο τῷ Πλούτωνι παρεκαθέζετο,

ad quem versum scholia haec adnotant: *ὅτι καὶ Πλούτωνα αὐτὸν ὑποκοριστικῶς ἐκάλεσεν, ὡς Σοφοκλῆς Ἰνάχῳ*

---

[1]) *νᾶμα Πλούτωνος] ἀπὸ τοῦ πολὺν ἐν τούτῳ χρυσὸν εὑρίσκεσθαι τοῦτο τὸ ὄνομα ἐσχηκώς. ἕτεροι δὲ τὸν Πλούτωνα οὐκ ὄνομα ποταμοῦ φασιν, ἀλλὰ τὸν Νεῖλον αὐτόν, ὃς διὰ τὸ πιαίνειν τὴν Αἴγυπτον πλούτων καὶ χρυσορρόας καλεῖται· σὺ δὲ μὴ τοῦτο νόει, ἀλλ' ἕτερον.*

[2]) *Τοῦ Πακτωλοῦ ἢ τοῦ πλουτοποιοῦ.* Ceterum Pactolum auriferum Nonnus quoque in animo habet, dum Sardes Pluti nutrices fuisse dicit Dionys. XIII 464 sqq.:

Λυδῶν δ' ἁβρὸς ὅμιλος ἐπέρρεεν, οἵ τ' ἔχον ἄμφω,
Κῖμψον ἐυψήφιδα καὶ ὀφρυόεσσαν Ἰτώνην,
οἵ τε Τορήβιον εὐρύ, καὶ οἳ Πλούτοιο τιθήνας
Σάρδιας εὐώδινας, ὁμήλικας ἠριγενείης eqs.

Πλούτωνος δ' ἐπείσοδον (fr. 251 N²)

καὶ πάλιν

τοιόνδ' ἐμὸν Πλούτων' ἀμεμφίας χάριν (fr. 261 N²).

Sophocleae huius fabulae argumentum praeclare restituit Wilamowitzius Herakles I 88 adn. 53, docens Iovis in Ionem amores tantam Argivorum terrae ubertatem attulisse, ut ipse Plutus advenisse diceretur.[1])

Sed multo saepius hoc nomen de inferorum deo usurpatur. Quod et quo tempore primum factum sit et quomodo fieri potuerit, nunc enucleare studeamus. Ac primum quidem monendum est, in cultu hunc deum non eadem atrocitate esse quam apud poetas Proserpinae maritum. Neque *Ἅιδης*[2]) in cultu vocatur nisi Elide in oppido,[3]) quod post bella demum Persica conditum esse constat; sed aut *Ζεὺς Εὐβουλεύς* vocatur,[4]) quod nomen, cum in Lacratidae anaglypho ei datum sit, Eleusine in usu fuisse adparet, aut *Ζεὺς Μειλίχιος*[5]) aut *Ζεὺς Χθόνιος*, quem Hesiodus agricolas, dum arare incipiunt, precibus invocare iubet op. 465 sqq.:

εὔχεσθαι δὲ Διὶ Χθονίῳ, Δημήτερι θ' ἁγνῇ,
ἐκτελέα βρίθειν Δημήτερος ἱερὸν ἀκτήν,
ἀρχόμενος τὰ πρῶτ' ἀρότου.

Itaque eum non minus quam Cererem agrorum ubertatem, hoc est *πλοῦτον*, ex profundo dare credunt. Atque Cratinus cum in *Πλοῦτοι* fabula, de qua in primo capite egimus, auream aetatem depingens diceret fr. 160 (K I 62) *αὐτόματα τοῖσι θεὸς*

---

¹) Hanc fabulam in vase Vindobonensi, quod in Diario archaeologico XXXI 1874 (1873) tab. 15 publici iuris factum est, illustrari Robert me docuit.

²) *Ἅιδης* is est, qui cerni non potest (*αϝιδης*) cf. Cornut. c. V. Quod enim J. Wackernagel, Verm. Beitr. z. griech. Sprachk. 1897 p. 4 *Ἅιδης* cum *αἶα* vocabulo cohaerere, adsentiente Wilamowitzio (Eurip. Medea, Finl. p. 13), statuit, ei coniecturae id obstat, quod vocalis *α* illius nominis in carminibus epicis semper brevis pronuntiatur, Attici autem *α* longam sonantes dicunt *Ἅιδης* (cf. *δαϝίς* > *δαΐς* > att. *δᾴς*), quo fit, ut coniectura Wackernagelii stare non possit.

³) Strabo VIII 344; Paus. V 20, 3. 25, 2.

⁴) O. Kern, AM XVI 1891 p. 1 sqq.

⁵) Cf. Preller-Robert I⁴ 130, 4. 144. 146.

ἀνίει τἀγαθά, hunc deum, *Δία Χθόνιον,* in animo habuisse facile perspicitur. Iam haec sufficiunt ad intellegendum, quomodo inferorum deo *Πλούτωνος* nomen tribui potuerit. Sed in Attica aliud accedit. Nimirum metallorum reditus quanti momenti ad rem publicam administrandam fuerint, nemo est qui nesciat. Itaque terrae Atticae bona omina dicentes Eumenides Aeschyleae hoc quoque precantur v. 946:

> *γόνον ⟨τ' ἀεὶ⟩* [1])
> *πλουτόχθων ἑρμαίαν*
> *δαιμόνων δόσιν τίοι.*

Atque inter hos daemones certe primum locum tenet *Ζεὺς Χθόνιος.* Huc spectat Demetrii Phalerei apophthegma ab Athenaeo VI 233 E traditum: *κατὰ τὸν Φαληρέα Δημήτριον ἐλπιζούσης τῆς πλεονεξίας ἀνάξειν ἐκ τῶν μυχῶν τῆς γῆς αὐτὸν τὸν Πλούτωνα.* Eadem referens Strabo haec Posidonii verba praemittit III 147: *οὐ γὰρ πλουσία μόνον, ἀλλὰ καὶ ὑπόπλουτος ἦν ἡ χώρα, καὶ παρ' ἐκείνοις ὡς ἀληθῶς τὸν ὑποχθόνιον τόπον οὐχ ὁ Ἅιδης ἀλλ' ὁ Πλούτων κατοικεῖ.* Itaque rectissime Plato in Cratylo 403 E: *ὁ Ἅιδης . . . ὅς γε καὶ τοῖς ἐνθάδε τοσαῦτα ἀγαθὰ ἀνίησιν· οὕτω πολλὰ αὐτῷ τὰ περιόντα ἐκεῖ ἐστι, καὶ τὸν „Πλούτωνα“ ἀπὸ τούτου ἔσχε τὸ ὄνομα.*

Inter poetas antiquissimus huius nominis testis est Sophocles in Antigona v. 1200:

> *καὶ τὸν μέν, αἰτήσαντες ἐνοδίαν θεὸν*
> *Πλούτωνά τ' ὀργὰς εὐμενεῖς κατασχεθεῖν,*
> *λούσαντες ἁγνὸν λουτρόν,*

deinde Euripides Alc. 360: *ὁ Πλούτωνος κύων,* Herc. 808: *Πλούτωνος δῶμα λιπὼν νέρτερον,* 1104: *Πλούτωνά τ' οὐδὲ σκῆπτρα Δήμητρος κόρης,* tum alii innumeri. Atque antiquissimis his testibus poetis fere aequalis est calix Vulcis repertus,[2]) qui in latere exteriore quattuor divinorum parium convivium, in fundo vero scilicet ab Olympiis divisos in-

[1]) *γόνος* Cod.; emendavit Wilamowitzius.

[2]) Mon. d. Inst. V 49; Murray, Designs from Greek vases in the Brit. Mus. 1894 t. XV 60; Smith, Catal. of Gr. and Etrusc. vas. in the Br. M. III E 82; cf. CIG 8348.

inferorum regem et reginam epulantes ostendit. Hic cornucopiam, Pluti signum, tenet; adscriptum est *ΠΛΟΥΤΩΝ*, uxori *ΦΕΡΕΦΑΤΤΑ*. Paullo antiquiora duo vasa sunt, quae Plutonem inter deos Olympios eodem signo, cornucopiam dico, instructum ostendunt.[1]) In quarto aliquo vase idem sceptrum et cornucopiam plenam tenens Triptolemi decessioni interest.[2]) Quae imagines cum faciles intellectu sint, scrupulum movet alia imago quam eodem fere modo in duobus vasis expressam invenimus;[3]) nam Herculem Plutonem, qui hic quoque cornucopiam tenet, dorso portantem conspicimus, et in altero vase sub pedibus eorum unda cum piscibus adumbrata est. Welcker Plutonem ex Orco auferri putat, nempe quod Herculi exitum recusaverat. Sed neque cui bono tum Hercules non satis habuerit Orci portas refringere intellegitur neque invitus Pluto se portari sini videtur. Immo Hercules et Pluto ludi illius puerilis speciem praebent, ubi regem asinus portat, qui graece *ἐφεδρισμός* audit.[4]) At tum statuendum esset, Herculem a Plutone victum esse, id quod vix cogitari potest; ac fac in fabula comica aut satirica talem scaenam extitisse, indole imagines severiores sunt, quam quae ad tales nugas referri possint. Itaque rem in medio relinquo.

Sed omnibus his testimoniis vetustior, scilicet exeunte sexto aut ineunte quinto saeculo facta, mensa est sacra Eleusine reperta, quae Eleusiniorum legem sacram continet.[5]) Cuius in versu ultimo de Prott Plutonis nomen certissima ratione restituit:

Πλούτ]ονι ⋮ Δ . . . ΧΟΙ ⋮ Θεοῖν ⋮ τρίττοαν ⋮ βόαρχον ⋮ ἐν τε͂ι ἑορ[τε͂ι.

Idem Rubensohnium secutus nomen sequens ita supplevit, ut hymni in Cer. v. 155 recordatus *Δ(ολί)χοι* scriberet, id hoc in titulo Plutonis cognomen esse ratus. At multo rectius Ziehen,

---

[1]) M. d. I. VI 58, 1. 2; Ann. dell' Inst. XXXIII 1861 p. 293—298 t. 58; Welcker, Alte Denkmäler V 1864 p. 360 sqq. t. XXIV a, b.

[2]) Élit. céramogr. III t. 58; M. d. I. I 4; Ed. Gerhard, Trinksch. u. Gefäfse II t. H; Müller-Wieseler, Denkm. d. alt. Kunst II t. IX 110.

[3]) Welcker, Alte Denkmäler III 1851 tab. XIX 1 et 2.

[4]) Vide Robert, Arch. Zeit. 1879 p. 79 sqq.; Furtwängler, Sammlung Sabouroff II t. LXXXI (Die Siegerin im Ballspiel).

[5]) de Prott, Ath. Mitt. XXIV 1899 p. 353; L. Ziehen, Leges sacrae II 1 nr. 2 p. 7.

si re vera *Δολίχοι* scribendum esset, hunc Dolichum ut in hymno heroem Eleusinium esse statuit. Itaque haec inscriptio demonstrat deum Eleusinium iam sexto saeculo Plutonis nomen accepisse. Sacerdotio autem Plutonis mulierem functam esse alio titulo Eleusinio duobus saeculis posteriore, qui fastos continet, edocemur,[1] cuius in altero fragmento legimus v. 21:

τῆι τοῦ Πλούτωνος ἱερείαι.

Quae sacerdos, cum in sequenti versu dearum *Θεσμοφόροιν* mentio fiat, etiam in Thesmophoriis, quae ab Aenea quoque Tactico commemorantur,[2] aliquas partes habuisse videtur. Denique arae Plutonis in rationibus Eleusiniis anni 329/8[3] l. 140 mentio fit.

Quae cum ita sint, Plutonis nomen, quod ab hymno in Cererem scripto etiam alienum est, primum Eleusine sexto saeculo inferorum deo inditum atque illinc per totam Graeciam sensim propagatum esse statuendum erit. At obiciat quisquam iam in titulo Mycenaeo saeculi quinti ineuntis hoc nomen legi, neque credi posse, si quidem re vera Eleusine ortum est, tam mature in Argolide innotuisse. Itaque de hoc titulo paullo accuratius nobis dicendum est. Extat in ara rotunda, quae in parva ecclesia prope vicum Phichthiam, non nimis longe a Mycenis distantem, reperta nunc Athenis in Museo adservatur.[4] Partem superiorem taeniae cingunt obliquae in caput arietis desinentes, in quibus scripti sunt tituli versus duo, ii quidem detritissimi, reliqui in arae parte quae est sub taeniis; titulum conscriptum esse annum 468 a. C., hoc est ante Mycenas ab Argivis deletas, recte iudicavit Fraenkelius. Verba sunt haec:

κα]τέχ[ο]ι Πλουτ . . .
Μεγά[ρας? π]αῖδα Φερ[σε]φ[ό]νη . . .

---

[1]) Skias, Ἐφ. ἀρχ. 1895 p. 99 nr. 12 B; Ditt. Syll.[2] 628; Prott, legg. sacr. II 1 nr. 6 p. 29.

[2]) IV 8 (Schoene) *Πεισιστράτῳ γὰρ Ἀθηναίων στρατηγοῦντι ἐξηγγέλθη, ὅτι οἱ ἐξ Μεγάρων οἱ ἐπιχειροῖεν ἀφικόμενοι πλοίοις ἐπιθέσθαι νυκτὸς ταῖς τῶν Ἀθηναίων Θεσμοφόρια ἀγούσαις ἐν Ἐλευσῖνι* (de Thesmophoriis ceteris in regionibus celebratis disputavit Nilsson, Griech. Feste 1906 p. 313 sqq.) cf. Frontin. II 9, 9, Justin. II 8, 1; A. Hug, Aeneas v. Stymphalos 1877 p. 12 sqq.

[3]) Dittenberger, Syll.[2] II 587.

[4]) Baumgarten, Athen. Mitt. VIII 1883 p. 171; Fränkel IG IV 496.

᾿Εφεσίη καθῆτο μήνυσ[ις]· πρῶτον Ἑκάτη ἄτας Μεγάρας πᾶσιν, εἶτα δὲ Φερσεφόνη ἀγγέλλοι θεοῖς. ἤδη τάδε πάντα.

Quem titulum si cum Baumgartenio sepulcralem esse putes, in primo versu *Πλούτων* supplere opus sit, non, ut Fraenkelio visum est, *Πλοῦτος,* quo nomine deus inferorum numquam invocatur. At non sepulcralem, sed exsecrabilem hunc titulum esse ex verbis *᾿Εφεσίη μήνυσις* (i. e. dirae more Ephesiorum)[1]) certissime conclusit Hermannus Diels. Itaque verbis *κατέχοι Πλούτων* Pluto defigere aliquem iuberetur. At tum mireris Plutoni non statim Proserpinam adiungi, quae tanto intervallo, tribus nimirum versibus, ab eo separatur, ut nullo modo eadem sententia comprehendi potuerit. Accedit, quod in clausula *πρῶτον Ἑκάτη ἄτας Μεγάρας πᾶσιν, εἶτα δὲ Φερσεφόνη ἀγγέλλοι θεοῖς. ἤδη τάδε πάντα* non Plutonis, sed Hecates mentio fit. Itaque suspicor *Πλουτ* litteras non divini, sed humani nominis initium esse, eius scilicet, qui devovetur, sive *Πλούταρχος* sive *Πλουτογένης* sive aliter audiebat, ideoque non nominativum, sed accusativum restituendum esse censeo, e. c. *Ἑκάτη κα]τέχοι Πλούτ[αρχον.*

Factum esse vidimus, ut et *Πλοῦτος* et *Πλούτων* uterque *πλουτοδότης* esset. In hoc iocus Luciani positus est, qui in Timone c. 21 Plutum ita loquentem facit: *ὁ Πλούτων ἀποστέλλει με πρὸς αὐτοὺς ἅτε πλουτοδότης καὶ μεγαλόδωρος αὐτὸς ὤν.* Ceterum Lucianeum hunc Plutum ad Aristophanei exemplum satis accurate effictum esse, vix est quod moneam; nam et caecus est ut ille (cap. 15) et sermo, quem ante Iovem habet (cap. 20), versuum Aristophaneorum 234—244 tamquam paraphrasis est.

---

[1]) Cf. Wünsch IG III 3 app. Defixionum tabellae praef. p. XX sqq.; Kuhnert ap. P-W V 2771 sqq.

IV.

De Pluti simulacro Cephisodoteo.

Cum de Pluti in vasculis imaginibus data occasione egerimus, nunc de plasticis eius simulacris dicendum erit. Stabat in foro Atheniensium statua aenea Pacis deae Plutum infantem ferentis, de qua haec Pausanias I 8, 1: *μετὰ δὲ τὰς εἰκόνας τῶν ἐπωνύμων ἐστὶν ἄγαλμα θεῶν Ἀμφιάραος καὶ Εἰρήνη φέρουσα Πλοῦτον παῖδα*; artificem Cephisodotum fuisse idem alio loco narrat IX 16, 2: *σοφὸν δὲ οὐχ ἧσσον τὸ Κηφισοδότου· καὶ γὰρ οὗτος τῆς Εἰρήνης τὸ ἄγαλμα Ἀθηναίοις Πλοῦτον ἔχουσαν πεποίηκεν.* Huius operis exemplar marmoreum statuam nunc Monacensem, olim Cardinalis Alexandri Albani esse[1]) Hermannus Brunn praeclarissima dissertatione evicit.[2]) Dea habitu sancto augustoque conspicua, manu dextra sceptro innisa, bracchio sinistro fert Plutum puerulum, dextra altrici blandientem, quae summa caritate eum contemplatur, laeva cornucopiam, dea adiuvante, tenentem. Itaque ut *κουροτρόφος* Pax efficta est, qualem iam Hesiodus op. 228 (*εἰρήνη δ' ἀνὰ γῆν κουροτρόφος*) eumque secutus Euripides Bacch. 418 (*ὀλβοδότειραν Εἰρήναν κουροτρόφον θεάν*) eam celebraverunt, nisi quod poetae infantes universos a Pace ali cogitant, artifex unum puerum divinum eam tueri vult. Sed in tempore, quo hoc simulacrum dedicatum sit, constituendo Brunnius me quidem iudice egregie falsus est. Nam Isocratis Nepotisque testimoniis[3]) confisus, qui post Timothei

---

[1]) Brunn-Bruckmann tab. XLIII; Bulle, Der schöne Mensch im Altertum tab. 130.

[2]) Kl. Schr. II 328 sqq.

[3]) Isocr. *περὶ ἀντ.* 109 sq.: *καὶ περὶ τὸν αὐτὸν χρόνον Λακεδαιμονίους ἐνίκησε ναυμαχῶν, καὶ ταύτην ἠνάγκασεν αὐτοὺς συνθέσθαι*

demum victoriam Leucadiam ao. 375 partam Paci deae sacrificari coeptum esse contendunt, eodem tempore Cephisodoti statuam dedicatam esse arbitratur. Qua in re vix dici potest, quantopere Isocrates, vir ut suae aetatis rerum publicarum peritissimus, ita antiquitatum incuriosissimus erraverit. Nam annuum illud, de quo loquitur, sacrificium procul dubio nullum aliud est, quam quod Synoecesiis sexto decimo Hecatombaeonis die Paci parabatur.[1]) Quod vero Nepos tunc primum aras Paci publice factas eique deae pulvinar institutum esse tradit, dissentit alius maioreque fide dignus auctor, qui post pacem a Callia cum Persis factam

---

τὴν εἰρήνην, ἣ τοσαύτην μεταβολὴν ἑκατέρᾳ τῶν πόλεων ἐποίησεν, ὥσθ' ἡμᾶς μὲν ἀπ' ἐκείνης τῆς ἡμέρας θύειν αὐτῇ καθ' ἕκαστον τὸν ἐνιαυτὸν ὡς οὐδεμιᾶς ἄλλης οὕτω τῇ πόλει συνενεγκούσης. Corn. Nepos, Timoth. 2, 2: *quae victoria tanta fuit Atticis laetitia, ut tum primum arae Paci sint factae eique deae pulvinar sit institutum.*

[1]) Schol. Arist. Pac. 1019: *φασὶ γὰρ τῇ τῶν Συνοικίων* (cf. Thuc. II 15; v. Wilamowitz, Aus Kydathen 120 adn. 36) *ἑορτῇ θυσίαν τελεῖσθαι Εἰρήνῃ, τὸν δὲ βωμὸν μὴ αἱματοῦσθαι, Ἑκατομβαιῶνος μηνὸς ἕκτῃ ἐπὶ δέκα.* Plutarch. Thes. 24 (I 20, 30 Sint.): *ἔθυσε δὲ καὶ Μετοίκια* (l. *Συνοίκια* cf. Wilam. l. c.) *τῇ ἕκτῃ ἐπὶ δέκα τοῦ Ἑκατομβαιῶνος, ἣν ἔτι νῦν θύουσι.* Ad easdem ferias rectissime Augustus Mommsen, Feste der Stadt Athen p. 37 verba rettulit, quae in rationibus sacrorum Atheniensium anni 333 IG II 741 (Dittenberger Syll^{2} 620) inter novi anni praescriptionem et Panathenaea leguntur l. 64 *[ἐκ τῆς] θυσίας τῆι Εἰρήνηι [παρὰ στρατ]ηγῶν κτλ.*. Hinc adparet, re vera Paci deae his feriis victimam caesam esse. Id quod ideo alicuius momenti est, quod ad Arist. Pac. v. 1019: *οὐχ ἥδεται δήπουθεν Εἰρήνη σφαγαῖς οὐδ' αἱματοῦται βωμός* scholia adnotant: *ἐν γὰρ τῇ τῶν Συνοικίων* (*Συνοικεσίων* Cod, sed v. supra) *ἑορτῇ οἱ μέν φασι τῇ Εἰρήνῃ θυσίαν τελεῖσθαι, ἧς ὁ βωμὸς οὐχ αἱματοῦται. οἱ δὲ ἑστίασιν* (*ἑστιῶσιν* Cod., corr. Robert, cf. Nepotis deae pulvinar institutum). Itaque si consuetudo ea, quam Aristophanes testari videtur, non ab ipso poeta eo consilio ficta est, ut hostia, quae ante oculos spectatorum re vera immolari nullo modo poterat, ex orchestra auferretur, verba *οὐδ' αἱματοῦται βωμός* nihil aliud dicere possunt, quam Pacis aram sanguine victimarum illini non solere, ut suspicatur Robert apud Prellerum I^{4} 479 adn. 3. Ceterum vix est quod moneam, Aristophani tale sacrificium in fabulam suam inducere licuisse, etiamsi Athenis eo tempore Pax cultu sacrisque carebat. Argumento haec scaena esse non potest. Sed cum de tali sacrificio aliunde constat, sane verisimile est et poetam et spectatores de sacris Hecatombaeonis cogitasse.

hanc aram dedicatam esse testatur, Plut. Cim. 13: φασὶ δὲ καὶ βωμὸν Εἰρήνης διὰ ταῦτα τοὺς Ἀθηναίους ἱδρύσασθαι, καὶ Καλλίαν τὸν πρεσβεύσαντα τιμῆσαι διαφερόντως. Quam pacem qui hodie post Wilamowitzii et Eduardi Meyeri ratiocinationem [1]) factam esse neget, omni iudicio careat. Sacrificium autem eodem tempore institutum esse et per se patere videtur et a Wilamowitzio eo confirmatur, quod non archontem regem sed duces his sacris praeesse titulus p. 285 adn. 1 adlatus docet. Attamen scrupulus restat, num cogitari possit Synoecesia, quae ad Thesei tempora spectant, medio tandem quinto saeculo constituta esse. Quae difficultas hac fortasse ratione dissolvi potest. Cum ex Nepotis verbis tum ex scholio Arist. Pac. 1019 (v. p. 285 adn. 1) elucet Synoecesiis etiam lectisternium habitum esse. Ac rectissime ad hoc lectisternium Ernestus Curtius [2]) Pacis statuam rettulit, quae Pausania teste (I 18, 3) in Prytaneo iuxta Vestae simulacrum collocata erat. Synoecesia igitur cum lectisternio vetustissima fuisse suspicor; medio autem quinto saeculo addita est ara, constitutum est sacrificium cruentum.

Sed utut haec res se habet, id certissime efficitur, huic Pacis arae nihil esse cum Cephisodoti statua commune neque eam ad eius aetatem cognoscendam quicquam valere. Atque iam P. Arndt [3]) et postea W. Klein [4]) statuam propter artis proprietatem saeculo quinto exeunti tribuerunt. Furtwängler [5]) quoque, quamquam de aetate Brunnio adsentitur, concedere debet vestitum eum esse, qui sexaginta annis ante artificibus in deliciis erat. Unde profectus Robert [6]) non dubitavit, statuam ad Niciae pacis aetatem referre, et Caryatidum amictu et Latonae in Alexandri tabula depictae comptu comparatis. Ac re vera illi aetati, ubi Athenis omnia bonae spei plena erant, simulacri indoles multo

[1]) v. Wilamowitz, Aus Kydathen p. 120 adn. 36; Ed. Meyer, Forschungen z. alten Gesch. II 3 sqq.

[2]) Stadtgeschichte p. 57.

[3]) Festschr. für Overbeck p. 99.

[4]) Praxiteles 1898 p. 83 sqq.

[5]) Masterpieces p. 295.

[6]) Die Knöchelspielerinnen des Alexandros p. 18 adn. 42, Hall. Winckelmannsprogr. XXI.

magis accommodata est, quam gravibus post belli Peloponnesiaci annis, de quibus W. Klein cogitavit.

Quae cum ita sint, nullam hoc Cephisodoti simulacro antiquiorem possidemus Pluti imaginem; nam quae in capite antecedenti tractavimus vasa picta, ea omnia quarti saeculi erant, immo hydriae Rhodi repertae pictorem et Pacis et Pluti figuras in usum suum convertisse intelleximus. Itaque Cephisodotus non solum primus fuisse videtur, qui Plutum arte expressit, sed tanta fuit artificii eius auctoritas, ut fere omnes qui secuti sunt artifices Plutum puerili specie fingerent. Atque monendum est, praeclarum hoc opus non solum in nummis Atticis,[1] sed etiam in gemmis[2] tertii a. Chr. saeculi imitando expressum esse. Neque vero sculptores defuerunt, qui Cephisodotum aemulari studerent. Inter quos nominandi sunt Xenophon Atheniensis et Callistonicus Thebanus, socius eius; haec enim legimus apud Pausaniam IX 16, 2: *Θηβαίοις δὲ μετὰ τοῦ Ἄμμωνος τὸ ἱερὸν οἰωνοσκοπεῖόν τε Τειρεσίου καλούμενον καὶ πλησίον Τύχης ἐστὶν ἱερόν· φέρει μὲν δὴ Πλοῦτον παῖδα· ὡς δὲ Θηβαῖοι λέγουσι, χεῖρας μὲν τοῦ ἀγάλματος καὶ πρόσωπον Ξενοφῶν εἰργάσατο Ἀθηναῖος, Καλλιστόνικος δὲ τὰ λοιπὰ ἐπιχώριος. σοφὸν μὲν δὴ καὶ τούτοις τὸ βούλευμα, ἐσθεῖναι Πλοῦτον ἐς τὰς χεῖρας ἅτε μητρὶ ἢ τροφῷ τῇ Τύχῃ, σοφὸν δὲ οὐχ ἧσσον τὸ Κηφισοδότου· καὶ γὰρ οὗτος τῆς Εἰρήνης τὸ ἄγαλμα Ἀθηναίοις Πλοῦτον ἔχουσαν πεποίηκεν.* Atqui eundem Xenophontem una cum Cephisodoto Iovis Servatoris, Dianae Servatricis, Megalopolis simulacra, quae Megalopoli in Iovis Servatoris templo stabant, fecisse Pausanias VIII 30, 10 testatur. Hoc autem templum paulo post oppidum conditum aedificatum esse luce clarius esse videbatur, ita ut Xenophon pro Cephisodoti, Pluti creatoris, discipulo haberetur. Quod prorsus aliter se habere evicit Guilelmus Dörpfeld.[3] Ille enim ex aedificandi arte demonstravit Iovis Servatoris templum Megalopolitanum Alexandri aetate posterius

---

[1]) Arch. Zeit. 1859 tab. 123, 1; Catal. of Greek Coins in the Brit. Mus., Attica 109, 800 tab. XIX 5; Head, Hist. Numorum² p. 390 (Hadrianus).

[2]) Furtwängler, Antike Gemmen I tab. 31, 34 II p. 155.

[3]) Athen. Mitt. XVIII 1893 p. 218.

esse. Itaque Cephisodotus ille, qui una cum Xenophonte simulacra eius templi fecerat, non Pacis artifex, sed filius Praxitelis est. Eundem Cephisodotum cum fratre Timarcho Thebis aut Cadmi statuam aut Bacchi simulacrum[1]) fecisse Pausanias IX 12, 4 tradit, ita ut hoc quoque in oppido eodem fere tempore quo Xenophon degisse videatur, qui procul dubio arta societate cum eo coniunctus erat. Factum autem id esse post Thebas a Cassandro restitutas per se patet, atque ita explicatur, quo consilio, cum Xenophontem ceteroquin ad Cephisodoti exemplar arte se adplicuisse ipsa Pausaniae verba docent, tamen pro Pace substituta sit Fortuna. Nempe cives Thebani atri sui fati memores omnem spem in Fortuna ponebant.

Similiter Meli in insula Fortuna fere ad exemplar operis Cephisodotei efficta erat, quam et e nummis Meliorum[2]) et ex inferioris aetatis anaglypho[3]) cognovimus, cui inscriptum est (IG XII 3, 1098): *Ἀγαθὴ / Τύχη Μήλου / εἵλεως Ἀλε/ξάνδρῳ κτίστῃ / ἱερῶν μυστῶν.* Sed longius haec imitatio ab exemplo Atheniensi recedit; nam deae bracchium dextrum non sceptrum tenet, sed columna fulcitur; amictus comptusque diversi sunt; etiam pueri habitus differt.

Tum in nummis Cymaeis, Cycicenis, Amistrianis[4]) simulacrum Cephisodoti expressum invenimus, ita ut locis illis imitationes

---

[1]) *τὸν Κάδμον* habent Pa La Vb pro *τὸν βωμόν*, quod est in edd. codd. cett. cf. etiam Kayser, Jahrb. f. Philol. 1854, 432 et Brunn, Gesch. d. gr. Kunst[2] I 208.

[2]) Cavedoni, Bull. dell' Inst. 1863 p. 93; Sestini, Mus. Hederv. I p. 100 t. XIV 1; Mionnet, Descr. des médailles ant. II 319, 58; Macdonald, Catal. of Gr. Coins in the Hunterian Coll. II p. 207; Head, Hist. Num.[2] p. 487.

[3]) Arch. Zeit. 1861 p. 234*; Bull. dell' Inst. 1862 p. 86, 1865 p. 135; P. Wolters, Athen. Mitt. XV 1890 p. 264 sqq.; IG XII 3, 1098; Journ. of Hell. Stud. 1898 p. 60 fig. 1.

[4]) a) Cymaei ex Aeolide: Mionnet III 11, 65, Num. Chron. XV 1895 p. 99.

b) Cyziceni: Mi. II 549, 231, Head, HN[2] p. 527 (Maximinus).

c) Amastriani (Paphlag.): Waddington-Babelon, Recueil gén. des mon. grec. d'Asie Mineure I 153, 154, Head, HN[2] p. 506 (Caracalla).

eius extitisse conicere debeamus. Idem valet de Samo, cuius insulae in nummis similis figura alii mulieri contra stat.[1])

Deinde etiam Phrygiorum et Pisidiorum Abundantia dea, quae *Εὐβοσία* vel *Εὐποσία* audit, a Cephisodoti simulacro, ut nummi docent, speciem mutuata est.[2]) Dea calatho insignis dextra gubernaculum aut ramum aut pateram, sinistra cornucopiam tenet, cuius in flexura Plutus puer sedet.

Denique in Aezanorum oppidi Phrygii nummis Rhyndacum fluvium conspicimus, qui in dextra porrecta Plutum infantem cornucopia insignem tenet,[3]) id quod in mentem revocat, quae supra de Plutone, amne Arimasporum, disputavimus.

Thespiis Pausanias (IX 20, 8) Pluti simulacrum cum Minerva Ergane coniunctum vidit, nimirum ad ubertatem indicandam, quam labor et industria sive opificum sive mulierum pariunt: *τὴν δὲ Ἀθηνᾶν τὴν Ἐργάνην καὶ αὐτὴν καὶ Πλοῦτόν οἱ παρεστηκότα ἐποίησε* ××× . Sed cum Pausaniae textus eo loco valde lacunosus sit, neque qua specie aut habitu Plutus effictus fuerit, dici potest, neque de artifice aut aetate quicquam constat. Id tantum dici potest, hanc statuam Cephisodoto antiquiorem fuisse omni probabilitate carere.

Denique Saturnalibus anni post Christum natum MDCCCXLVI Aemilius Braun in Instituti archaeologici Prussiani sessione gemmam ostendit, in qua Plutus ad Parcarum pedes sedens ex-

---

[1]) Head, HN² p. 606: duae mulieres adversus stantes, altera (Pax?) fert puerum (Plutum?).

[2]) Cf. Waser ap. P-W VI 858; de Hierapoli: CIG 3906 b, Judeich, Jahrb. d. deutschen Arch. Inst. Suppl. IV 1898 p. 76 nr. 26, Cagnat, Inscr. Graec. ad res Rom. pertin. IV 3, 810; de Acmonia: CIC 3858, Ramsay, Cities and bishopries of Phryg. I 637, 530, Cagnat IV 3, 654. *Nummi*: a) Hierapolitani: Catal. of Gr. Coins in the Brit. Mus., Phrygia 233, 35 t. XXIX 11; Imhoof-Blumer, Mon grec. 401, 110 (II—III s. p. C); similes Cat. of Brit. Mus. 241, 83. 251, 139. 253, 146; Zeit. f. Numism. VII 1880 p. 223 sqq.; Catal. del Mus. di Napoli I 861, 9 *EVBOCIA*. b) Isindae (Pisid.): Eubosia pro remo tenet pateram, Revue num. 1883 p. 27, 2 t. XX 16, Imh.-Blum., Kleinasiatische Münzen II p. 374, 5 (II—III s. p. C.), Head, HN² p. 708. c) Coloniae Antiochiae (Pisid.): Eubosia pro gubernaculo ramum tenet, Imh.-Blum., Kleinas. Mzn. II p. 360 nr. 16 a t. XII 22 (Severus); Head HN² p. 706.

[3]) Catal. in the Brit. Mus., Phryg. 37, 100 t. V 10 (Hadrianus).

pressus erat.[1] At si quis ad Parcarum habitum attenderit, qualis a Braunio describitur, de lapidis origine antiqua dubitare temerarium esse negabit.

Quod vero cum alii tum Ioannes Overbeck vel in Romanae artis monumentis Plutum indagare sibi visi sunt, id iam a principio ideo omni probabilitatis specie caret, quod in religione mythologiaque romana Pluti locum tenet Abundantia. Itaque non magis quam poetae Romani, qui nusquam Pluti mentionem faciunt, artifices romani eius rationem habuisse possunt. Iam videamus singula. In anaglypho Florentino[2] et mutilato et condicionis incertae Ceres expressa est augusto habitu, face insignis, puero nudo in amiculi sinum spicas maturas impositura. Cereri a tergo duo angues conspiciuntur, scilicet Triptolemi iugum. Inde adparet puerum non magis Triptolemum esse posse quam Plutum. Immo Triptolemus ex expeditione sua redux Cereri spicas reportatas tradidit, illa puero tradit. At hic puer, quis est? Nemo qui artem romanam vel obiter cognitam habet, de nomine dubitabit: aestatis genius est. Nam quantopere anni temporum figurae Romanis in deliciis fuerint, unusquisque ex Pauli Hermanni dissertatione[3] vel ex Matzii Duhniique catalogo discere potest.

Hunc aestatis genium etiam in gemmis duabus Cereri adiunctum conspicimus, quarum altera a Gorio[4] altera a Gerhardo[5] edita est; nempe deae sedenti calathum spicarum plenum porrigit, itaque cum in anaglypho Florentino accipiat, hic ipse largitur.

In parietibus pictis adhuc Plutus nondum comparuit; sed extitisse pictas eius sive in parietibus sive in tabulis imagines Dio Prusaensis indicat IV 93: *τυφλοῦ δικαίως καὶ λεγομένου καὶ γραφομένου τοῦ Πλούτου τυφλότερος ἐραστής.*[6])

---

[1]) Braun, Arch. Zeit. 1847 p. 1*.

[2]) Braun, Ann. I 1854 p. 76 tab. X; Dütschke, Antike Bildwerke in Oberitalien III nr. 418; Overbeck, Kunstm. p. 516 sqq. tab. XVI 2a.

[3]) De Horarum apud veteres figuris. Diss. Berol. 1887.

[4]) Mus. Florent. II t. 38, 3 = Overbeck, Kunstm. t. IV 7.

[5]) Alte Denkmäler t. 311, 12 = Müller-Wieseler, Denkm. d. a. K. II 8, 99a.

[6]) Accedit Clemens Alexandrinus Protr. 81 P (73, 24 Stählin) *πλοῦτος ... ὃν καὶ ζωγράφοι τυφλὸν ἐπιδεικνύουσι.*

Cui egregii viri testimonio quo iure fides abrogetur non video. Nam quod Philostratus II 27 (382 K 5 p. 118 sod. Vindob.) in ficta Minervae nascentis tabula fictum Plutum, id quod et inauditum et absurdum est, aureum et alatum describens in fine addit: *γέγραπται καὶ βλέπων· ἐκ προνοίας γὰρ αὐτοῖς ἀφῖκτο,* id tantum abest, ut ad Dionem redarguendum adhiberi possit, ut potius dicendum sit, Philostratum ita vix scripturum fuisse, nisi et ipse caeci Pluti imagines cognitas habuisset. Statuendum igitur est, extitisse imperatoria aetate picturas, quae Plutum talem figurarent, qualis apud Aristophanem prodiit. Quarum nullam tulisse aetatem in tanta nostra antiquarum picturarum penuria non est mirandum. Neque igitur dici potest, quo tempore haec Pluti species in artem introducta sit, quod et quarto saeculo et aetate hellenistica, denique vel primo demum p. Chr. saeculo factum esse potest.

Vita.

Natus sum Fridericus Aemilius Rudolfus Hübner a. d. XV Kal. Nov. anni prioris saeculi LXXXIX Trebbini, patre Francisco matre Ottilia e gente Knothe, quorum adhuc superstitum fruor amore. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis instructus sum in gymnasio municipali Gubenensi. Vere h. s. VIII testimonium maturitatis adeptus Halis Saxonum et Monachiae operam navavi studiis philologicis.

Docuerunt me viri illustrissimi: Bechtel, Bremer, Consbruch, Cornelius, Crusius, Fries, Jacobsohn, Jahn, Ihm †, Kattenbusch, Kern, Krueger, Loofs, Lütgert, Menzer, Muff †, Nebert, Niese †, Praechter, Robert, Saran, Schultze-Galléra, v. Stern, Strauch, Streitberg, Voll, Vollmer, Wissowa.

His omnibus viris doctissimis iustam ac debitam habeo gratiam, praecipue Ottoni Kern, qui ad hanc dissertationem scribendam me incitavit, et Carolo Robert, quem magna benignitate cum studia mea tum hanc commentationem opera et consilio fovisse semper grato animo reminiscar.